D. Breslau 1912

M. Hoppe

DE M. T. CICERONIS LAELII FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMI

PHILOSOPHORUM VRATISLAVIENSIUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

MAXIMILIANUS HOPPE

SILESIUS.

DIE X MENSIS AUGUSTI ANNI MCMXII HORA XI ET DIMIDIA
DISSERET DOCTORANDUS IN AULA LEOPOLDINA

„DE PHILTRIS APUD GRAECOS ET ROMANOS".

DEINDE PROMOTIO ERIT.

VRATISLAVIAE.
TYPIS SCHLESISCHE VOLKSZEITUNG.
MCMXII.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
A. Gercke.

Examen rigorosum habitum est die XIX mensis Junii h. a.

Alfredo Gercke

sacrum.

Argumentum.

Viri docti quamquam studebant statuere, quibus ex fontibus M. Tullii Ciceronis de amicitia liber fluxisset, quaestionem non solverunt. Plerumque enim satis habuerunt singula placita e contextu sententiarum erepta certae disciplinae attribuere. Neque vero haec ratio mihi probari videtur posse, cum de amicitia disputantes diversarum scholarum sectatores multis gravibusque in rebus consenserint.

Postquam *AStahr*[1]) in Laelio Aristotelea placita inesse animadvertit, *RFBraxator*[2]) Ciceronem Ethicon Nicomacheorum libros perlegisse sententiasque nonnullas ex illis sumpsisse conatus est monstrare. Atque in Laelio sententias Peripateticas exstare consentaneum est. Neque tamen Braxator quod contendit probavit Ciceronem eas ex EN libris hausisse. Nam primum saepe parum similes locos attulit[3]), tum permultas sententias, quas et Peripateticos et Stoicos et Epicureos protulisse mihi constat, tribuit Aristoteli. Ea autem placita, quae Peripateticis attribuenda sunt, Theophrasti esse probavit *GHeylbut*[4]). In Laelio enim Theophrasti librorum περὶ φιλίας, quorum reliquias subtiliter congessit, vestigia dilucida detexit. Tota huius viri doctissimi argumentatio posita est in loco Gellii, qui Ciceronem in Laelio componendo Theophrasti περὶ φιλίας libros perlegisse atque in usum suum convertisse testatur Noct. Att. I 3, 10: „Super hac quaestione (i. e.: an nonnunquam contra ius contrave morem faciendum pro amico sit et in qualibus causis et quemnam usque ad modum) vel diligentissime a Theophrasto disputatur, viro in philosophia Peripatetica modestissimo doctissimoque, eaque disputatio scripta est, si recte meminimus, in libro eius de amicitia primo. Eum librum

---

1) Aristotelia II. Halis 1830.

2) Quid in conscribendo Cic. Laelio valuerint Ethicon Nicomachorum de amicitia libri. Diss. Halis 1871.

3) cf. eos, quos p. 14 affert.

4) de Theophrasti libris περὶ φιλίας. Diss. Bonnae 1876.

M. Cicero videtur legisse, cum ipse quoque librum de amicitia componeret. Et cetera quidem, quae sumenda a Theophrasto existimavit, ut ingenium facundiaque eius fuit, sumpsit et transposuit commodissime aptissimeque. Hunc autem locum . . . strictim atque cursim transgressus est“.

Heylbutium hunc locum haud tanti, quanti debuit, duxisse valde miror. Neque enim ipsum Theophrasti opus a Cicerone adhibitum esse contendit sed Theophrastea placita ex „summariis“ Peripateticis vel ex „controversiarum“ libris sumptas esse suspicatur, quamquam ipse p. 38 sibi non contigisse profitetur, ut certa argumenta afferret. Heylbutii dissertationi adiungit *GBohnenblust* [1]), qui Ciceronem Panaetium exscripsisse existimat atque sententias Theophrasteas, quas statuit Heylbut, ab eodem sumpsisse sic suspicatur (p. 6): „Heylbut hat die Frage ausdrücklich offen gelassen [?], ob Cicero Theophrast selber gelesen, oder ob er seine Gedanken durch Vermittlung erhalten habe. Wir halten das letztere für ziemlich einleuchtend, indem wir den Nachweis führen möchten, daß Cicero zunächst von einem Vertreter der mittleren Stoa, wohl Panaitios, abhängig ist“[2]).

---

[1]) Beiträge zum τόπος περὶ φιλίας. Diss. Bernensis, Berlin 1905.

[2]) Similia *ABonhöffer* coniecerat (die Ethik des Stoikers Epiktet, Stuttgart 1894, p. 121 Anm. 94): „Die Schrift Ciceros de amicitia entwickelt ganz dieselbe Anschauung über die Freundschaft, wie sie in der Schrift de officiis vorliegt. Wenn Cicero in der letzteren bemerkt (II 9), über die Freundschaft wolle er sich hier nicht weiter verbreiten, da er diesen Gegenstand im Laelius behandelt habe, so gewinnt dadurch auch äußerlich die Vermutung, daß er auch in der letzteren den Panaetius benutzt hat, eine gewisse Stütze. Denn wenn die dort entwickelte Lehre von der Freundschaft hineinpassen soll in die dem Panaetius entnommene Darstellung, so muß [?] das in beiden Schriften über die Freundschaft Gesagte wenigstens in den Prinzipien übereinstimmen. Bei der bekannten Hinneigung des Panaetius zu Plato und Aristoteles würden sich auch die Beziehungen, die Thiaucourt [immo Braxator] . . zwischen dem Laelius und der Nicomachischen Ethik VIII und IX gefunden hat, leicht erklären“. Hanc sententiam falsis praemissis fulciri ipsamque falsam esse infra patebit. *Thiaucourtum*

Neque vero B. Peripateticas non modo in illo fonte Stoico fuisse sententias ostendit, sed ne de Stoico quidem fonte quicquam certi statuit. Sumptio enim eius est falsa. In Laelio eandem de amicitia rationem atque in Officiis posuit. Inveniuntur autem in Officiis placita, quae a Laelio dissentiunt, neque in Laelio ipso Cicero sibi constanter convenienterque loquitur[1]. Deinde ratio ipsa, qua Bohnenblust utitur, minime probanda est. Nam Laelii locos ob eam rem, quod cum Officiorum dictis congruant, Panaetio attribuendos non esse *MPohlenz* suo iure monet[2]. Rectissime enim similitudinem sententiarum Laelii et Officiorum ex ea re effectam esse existimat, quod Cicero Officia componens locorum libri de amicitia, quem paulo antea conscripserat, meminisset.

---

autem, qui Heylbutium prorsus neglexit Ciceronemque ullum fontem adhibuisse negat (Essai sur les traités philosophiques de Cicéron et leurs sources Grecques, Paris 1885, p. 197 sq.), hac ipsa commentatione refutatum iri spero.

1) vide p. 21, 24, 25, 32 etc.

2) Berl. philol. Wochenschr. 1906 p. 1392: „Er (i. e. Bohnenblust) stellt nämlich fest, daß zwischen dem Laelius und den Büchern über die Pflichten sich manche Übereinstimmungen finden, und schließt daraus, Cicero sei in beiden Schriften demselben Gewährsmann gefolgt. Das ist ein Verfahren, das bei Quellenuntersuchungen nicht selten angewendet wird, aber auf einer unklaren Vorstellung beruht. In unserem Falle kennen wir doch bestimmt die Schrift, der Cicero in dem Werke de officiis folgt, und es ist nicht anzunehmen, daß in einer Abhandlung περὶ τοῦ καθήκοντος Panaitios eine genaue Darstellung der Freundschaftslehre auf Theophrastischer Grundlage gegeben hat. Jene Übereinstimmung erklärt sich anders. Das zeigt uns außer einer Stelle wie off. II 30, wo Cicero nicht bloß Gedanken bringt, die an den Laelius anklingen, sondern auf diesen ausdrücklich verweist, namentlich off. I 153. Hier bemerkt Cicero selbst, er könne von jetzt an der Vorlage des Panaitios nicht mehr folgen. Wenn wir nun gerade hier einen Satz lesen, der mit Laelius § 87 auffällig übereinstimmt, so zeigt sich deutlich, daß bei Cicero einfach noch die Gedanken nachklingen, die er kurz vorher im Laelius niedergeschrieben hat. Das ist psychologisch sehr verständlich, wird aber gerade bei Cicero oft vergessen". Argumenta, quae Pohlenz affert, ea quoque re confirmantur, quod mihi contigisse puto, ut demonstrem sententias § 87 antecedentes a Stoicis profectas non esse (cf. p. 58).

Attamen Ciceronem fonte Stoico usum esse etiam mihi persuasum est, sed alia eaque graviora argumenta afferam. Utrum Panaetium adhibuerit Cicero an alium Stoicum, in incerto relinquo[1]). Neque vero Ciceronem sententias Peripateticas ex eodem fonte Stoico sumpsisse concedo. Assentior enim *Alfredo Gercke,* qui Peripateticorum et Stoicorum rationem a Cicerone conflatam esse coniecit[2]). Hanc sententiam pluribus certisque argumentis confirmaturus sum atque Ciceronem et Peripateticum et Stoicum fontem adhibuisse monstrare conabor. Quaestionem autem ita instituam, ut capite primo philosophorum de amicitia rationes, quae ad Laelium pertinent, breviter exponam, altero agam de Laelii compositione, tertio denique capite accedam ad fontes ipsos.

---

[1]) Verisimile esse videtur Ciceronem Panaetii dissertationem moralem adhibuisse. Nam hic philosophus cum dialogi personis, Laelio et Scipione, usu coniunctus erat, — quod Bohnenblust. p. 6. recte commemorat — et Qu. Mucium Scaevolam, qui Ciceroni sermonem Laelii cum generis habitum tradidisset, in Panaetii discipulorum numero fuisse constat. Neque vero has causas multum valere concedo.

[2]) Einleitung in die Altertumswissenschaft, Leipzig 1910, I p. 75 ([2] 1912 p. 76).

Caput I.

Videamus primum, quid Peripatetici docuerint de amicitia.

Eam hominibus et animalibus innatam esse dixerunt. Legitur enim EN VIII 1155 a 16: φύσει τ' ἐνυπάρχειν ἔοικε πρὸς τὸ γεγεννημένον τῷ γεννήσαντι καὶ πρὸς τὸ γεννῆσαν τῷ γεννηθέντι, οὐ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἀλλὰ καὶ ἐν ὄρνισι καὶ τοῖς πλείστοις τῶν ζῴων, καὶ τοῖς ὁμοεθνέσι πρὸς ἄλληλα, καὶ μάλιστα τοῖς ἀνθρώποις et IX 1169 b 17: οὐδεὶς γὰρ ἕλοιτ' ἂν καθ' αὑτὸν τὰ πάντ' ἔχειν ἀγαθά· πολιτικὸν γὰρ ὁ ἄνθρωπος καὶ συζῆν πεφυκός.

Amicitiam autem esse virtutem quandam (EN VIII 1155 a 3 ἔστι γὰρ ἀρετή τις ἢ μετ' ἀρετῆς). Tria esse genera. Amicitias enim peti aut propter bonum, quod in amicis inveniamus, aut propter voluptatem, quam praebeant, aut propter commoda, quae ab iis accipere exspectemus. EN VIII 1155 b 18: δοκεῖ γὰρ οὐ πᾶν φιλεῖσθαι ἀλλὰ τὸ φιλητόν, τοῦτο δ' εἶναι ἀγαθὸν ἢ ἡδὺ ἢ χρήσιμον. Theophrastum idem docuisse ex Eustratii schol. in EN 141 a Ald. patet: λέγει δὲ καὶ Εὔδημος[1]) καὶ Θεόφραστος, ὅτι καὶ καθ' ὑπεροχὴν φιλίαι ἐν τοῖς αὐτοῖς γίνονται ἢ δι' ἡδονὴν ἢ διὰ τὸ χρήσιμον ἢ δι' ἀρετήν. Veram amicitiam (δι' ἀρετήν) nisi in bonis esse non posse. Amicitias utilitatis aut voluptatis causa initas saepe mutari, EN VIII 1156 a 19: εὐδιάλυτοι δὴ αἱ τοιαῦταί εἰσι, μὴ διαμενόντων αὐτῶν ὁμοίων· ἐὰν γὰρ μηκέτι ἡδεῖς ἢ χρήσιμοι ὦσι, παύονται φιλοῦντες. τὸ δὲ χρήσιμον οὐ διαμένει, ἀλλ' ἄλλοτε ἄλλο γίγνεται. ἀπολυθέντος οὖν δι' ὃ φίλοι ἦσαν, διαλύεται καὶ ἡ φιλία, ὡς οὔσης τῆς φιλίας πρὸς ἐκεῖνα.

---

[1]) cf. EE VII 1239 a 1 et 1242 b 2.

Haec definitio amicitiae omnis profertur E N VIII 1155 b 33: εὔνοιαν γὰρ ἐν ἀντιπεπονθόσι φιλίαν εἶναι et VIII 1156 a 7: τρία δὴ τὰ τῆς φιλίας εἴδη, ἰσάριθμα τοῖς φιλητοῖς· καθ' ἕκαστον γάρ ἐστιν ἀντιφίλησις οὐ λανθάνουσα. Neque igitur inter ignotos amicitia constare potest. In veris amicitiis maximam esse similitudinem, in amicitiis imparium ἀναλογίαν, quae vocatur. EN VIII 1157 b 36: λέγεται γὰρ φιλότης ἡ ἰσότης. IX 1163 b 32: ἐν πάσαις δὲ ταῖς ἀνομοιοειδέσι φιλίαις τὸ ἀνάλογον ἰσάζει καὶ σῴζει τὴν φιλίαν et EE VII 1239 a 1: τριῶν ὄντων εἰδῶν φιλίας, κατ' ἀρετὴν κατὰ τὸ χρήσιμον καὶ κατὰ τὸ ἡδύ, αὗται πάλιν διῄρηνται εἰς δύο· αἳ μὲν γὰρ κατὰ τὸ ἴσον αἳ δὲ καθ' ὑπεροχήν εἰσιν.

Inter malos quoque homines amicitiam constare posse (EN VIII 1157 b 1: οἱ μὲν φαῦλοι ἔσονται φίλοι δι' ἡδονὴν ἢ τὸ χρήσιμον, ταύτῃ ὅμοιοι ὄντες), etiam inter bonos et malos (E N VIII 1157 a 16: δι' ἡδονὴν μὲν οὖν καὶ διὰ τὸ χρήσιμον καὶ φαύλους ἐνδέχεται φίλους εἶναι ἀλλήλοις καὶ ἐπιεικεῖς φαύλοις). Nullo igitur loco amicitia excluditur.

Amicitiam non pertinere ad multos Aristoteles docuit. Eum dicere solitum esse ᾧ φίλοι, οὐδεὶς φίλος Diog. Laert. V 21 tradit. Ethicorum autem singulorum libri, qui Aristotelis nomine insigniti ad nos pervenerunt, discrepantia de amicorum numero placita proferunt.

Nam in EN libris nullam amicitiam nisi in paucis constare diserte exponitur. Amicitiam propter virtutem expetitam inter paucos tantum iungi posse EN VIII 1158 a 10 legitur: πολλοῖς δ' εἶναι φίλον κατὰ τὴν τελείαν φιλίαν οὐκ ἐνδέχεται, ὥσπερ οὐδ' ἐρᾶν πολλῶν ἅμα. Artior colligatio postulatur E N IX 1171 a 14: οὐ γίγνονται γὰρ φίλοι πολλοὶ κατὰ τὴν ἑταιρικὴν φιλίαν, αἱ δ' ὑμνούμεναι ἐν δυσὶ λέγονται. οἱ δὲ πολύφιλοι καὶ πᾶσιν οἰκείως ἐντυγχάνοντες οὐδενὶ δοκοῦσιν εἶναι φίλοι.

Neque propter utilitatem vel voluptatem fictas amicitias pertinere ad multos EN IX 1170 b 24: πολλοῖς γὰρ ἀνθυπηρετεῖν ἐπίπονον, καὶ οὐχ ἱκανὸς ὁ βίος αὐτοῖς τοῦτο πράττειν. οἱ πλείους δὴ τῶν πρὸς τὸν οἰκεῖον βίον ἱκανῶν περίεργοι καὶ

ἐμπόδιοι πρὸς τὸ καλῶς ζῆν· οὐδὲν οὖν δεῖ αὐτῶν. καὶ οἱ πρὸς ἡδονὴν δὲ ἀρκοῦσιν ὀλίγοι, καθάπερ ἐν τῇ τροφῇ τὸ ἥδυσμα.

Contra cum his EN placitis minime congruunt EE et MM dicta. In EE enim legitur VII 1245 b 20: καὶ τὸ ζητεῖν ἡμῖν καὶ εὔχεσθαι πολλοὺς φίλους, ἅμα δὲ λέγειν, ὡς οὐδεὶς φίλος ᾧ πολλοὶ φίλοι, ἄμφω λέγεται ὀρθῶς. Similia traduntur in MM II 1213 b 3: πότερον δὲ πολλοὺς κτητέον φίλους ἢ ὀλίγους; οὔτε δὴ πολλούς, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, οὔτ' ὀλίγους δεῖ. Neque igitur decernitur, utrum a paucis an a multis diligi necesse sit. Immo amicorum numerum ad cuiusque vitam accommodandum esse pronuntiatur. Talia placita ab EN abhorrere haud difficile cognoscitur. Ethicorum Nicomacheorum auctoritatem secutum esse Theophrastum, e Ciceronis de ea re sententia evincemus[1]).

Stoici inter sapientes naturalem amicitiam constare praedicaverunt, quod eandem diligerent virtutem. Cicero cum Epicureis contendens exclamat de natura deorum I 121: „quanto Stoici melius, qui a vobis reprehenduntur! Censent autem sapientes sapientibus etiam ignotis esse amicos. Nihil est enim virtute amabilius; quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur". Id Stoicos docuisse etiam Stob. II 184 tradit: τήν τε ὁμόνοιαν ἐπιστήμην εἶναι κοινῶν ἀγαθῶν, διὸ καὶ τοὺς σπουδαίους πάντας ὁμονοεῖν ἀλλήλοις διὰ τὸ συμφωνεῖν ἐν τοῖς κατὰ τὸν βίον.

Inter malos homines amicitiam constare non posse putabant. Diog. Laert. VII 124: λέγουσι δὲ (Stoici scil.) καὶ τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις εἶναι διὰ τὴν ὁμοιότητα. Φασὶ δὲ αὐτὴν κοινωνίαν τινὰ εἶναι τῶν κατὰ τὸν βίον, χρωμένων ἡμῶν τοῖς φίλοις ὡς ἑαυτοῖς· δι' αὑτόν τε αἱρετὸν τὸν φίλον ἀποφαίνονται καὶ τὴν πολυφιλίαν ἀγαθόν· ἔν τε τοῖς φαύλοις μὴ εἶναι φιλίαν. Ex hoc loco etiam πολυφιλίαν sequitur Stoicos bonum duxisse.

Natura nos pelli ad amicitias iidem censebant. Cic. de fin. III 67: „praeclare enim Chrysippus, cetera nata esse hominum causa et deorum, eos autem communitatis et

---

[1]) cf. p. 32 sq.

societatis suae". Evidentius Sen. ep. 9, 17: „ad amicitiam fert illum (i. e. sapientem) nulla utilitas sua, sed naturalis inritatio. Nam ut aliarum nobis rerum innata dulcedo est, sic amicitiae. Quomodo solitudinis odium est et adpetitio societatis, quomodo hominem homini natura conciliat, sic inest huic quoque rei stimulus, qui nos amicitiarum adpetentes faciat"[1].

Sed Stoici cum et amicitiam hominibus necessariam esse concederent et sapientem se ipso contentum esse docerent, in difficultates incidebant, quas miro modo solvere studebant[2]. Chrysippum hac ratione nodum expedisse Sen. in eadem epistula § 14 tradit: „volo tibi Chrysippi quoque distinctionem indicare. Ait sapientem nulla re egere, et tamen multis illi rebus opus esse ... Ergo quamvis se ipso contentus sit, amicis illi opus est. Hos cupit habere quam plurimos, non ut beate vivat. Vivet enim etiam sine amicis beate".

Videmus Stoicorum amicitiam hoc nomine vix appellandam esse. Pro amicitia exstitit humanitas quaedam aut societas illa omnibus sapientibus communis. Praeclare de hac re mihi iudicasse videtur Bonhöffer[3].

---

[1]) Commemoravit hunc locum Bohnenblust p. 7.

[2]) cf. Zeller, Phil. d. Gr. III 1⁴ 298.

[3]) Die Ethik des Stoikers Epiktet, Stuttgart 1894, p. 106: „Es ist eine unvermeidliche Folge der die Individualität verwischenden uniformisierenden Tendenz der stoischen Ethik, daß die Freundschaft in derselben eigentlich keine Stelle hat".

Atque etiam ea, quae de Epicteto dicit (Epiktet und die Stoa, Stuttgart 1890, p. 300), ad omnes Stoicos quadrant: „die Fr. hat E. in echt stoischer Weise auf die Weisen oder Gebildeten beschränkt und ihr dadurch ihre eigentliche Bedeutung, wonach sie eine auf besonderer persönlicher Sympathie beruhende Zuneigung ist, genommen. Denn wenn nur zwischen Guten Fr. besteht, diese aber nur wegen ihrer Tugend und alle gleichermaßen befreundet sind, so ist damit die Fr. eigentlich aufgehoben: sie löst sich auf teils in die allgemeine Menschenliebe, teils in die geistige Gemeinschaft und Verwandtschaft, welche zwischen den Weisen oder den ernstlich nach Weisheit Strebenden besteht".

Restat, ut tractem locum Clementis Alexandrini Strom. II (p. 168 ed. Staehlin, p. 483 Potter), quem *J. ab Arnim* (Stoicorum veterum fragmenta, Lipsiae 1903, III No. 723) tribuit Chrysippo:

Τριττὰ δὲ εἴδη φιλίας διδασκόμεθα, καὶ τούτων τὸ μὲν πρῶτον καὶ ἄριστον τὸ κατ' ἀρετήν· στερρὰ γὰρ ἡ ἐκ λόγου ἀγάπη· τὸ δὲ δεύτερον καὶ μέσον κατ' ἀμοιβήν· κοινωνικὸν δὲ τοῦτο καὶ μεταδοτικὸν καὶ βιωφελές· κοινὴ γὰρ ἡ ἐκ χάριτος φιλία· τὸ δὲ ὕστατον καὶ τρίτον ἡμεῖς μὲν τὸ ἐκ συνηθείας φαμέν, οἱ δὲ τὸ καθ' ἡδονὴν τρεπτὸν καὶ μεταβλητόν.

Arnim adnotat: „dubitari potest, num haec ad veteres Stoicos pertineant, sed illud κατ' ἀμοιβήν optime quadrat in ea, quae de pilae lusu dixit Chrysippus cf. n. 725[1])".

At doctrinam Stoicam a Clemente proferri e sententiarum contextu omnino non intellegitur. Clemens enim, postquam tria amicitiarum genera esse exposuit, pergit: καί μοι δοκεῖ παγκάλως Ἱππόδαμας ὁ Πυθαγόρειος γράφειν „τᾶν φιλιᾶν ἃ μὲν ἐξ ἐπιστάμας θεῶν, ἃ δ' ἐκ παροχᾶς ἀνθρώπων, ἃ δὲ ἐξ ἁδονᾶς ζῴων". οὐκοῦν ἡ μέν τίς ἐστι φιλοσόφου φιλία, ἣ δὲ ἀνθρώπου, ἣ δὲ ζῴου· · ·

Antea auctor placitum τῆς προφητείας attulit, quod ad amicitiae doctrinam non attinet. Ex contextu igitur nos doctrinam Stoicam ante oculos habere non patet. Neque vero inter Clementis et Chrysippi apud Senecam sententias tantam similitudinem existere puto, ut Clementis loco Chrysippi doctrinam contineri existimem. Sin autem similitudinem quandam exstare concederem, ea ad unum tantum amicitiae genus (τὸ κατ' ἀμοιβήν, κοινωνικὸν δὲ τοῦτο καὶ μεταδοτικὸν καὶ βιωφελές) pertineret. Doctrina ipsa autem, quam profert Clemens, logicorum normam adeo offendit, ut eam a Chrysippo vel ab alio

---

1) Seneca de beneficiis II 17,3: „volo Chrysippi nostri uti similitudine de pilae lusu: quam cadere non est dubium aut mittentis vitio aut excipientis. Tunc cursum suum servat, ubi inter manus utriusque apte ab utroque et iactata et excepta versatur. Necesse est autem lusor bonus aliter illam conlusori longo, aliter brevi mittat. Eadem beneficii ratio est: nisi utrique personae dantis et accipientis aptatur, nec ab hoc exibit nec ad illum perveniet, ut debet. Si cum exercitato et docto negotium est, audacius pilam mittemus. Utcumque enim venerit, manus illam expedita et agilis percutiet. Si cum tirone et indocto, non tam rigide nec tam excusse, sed languidius et in ipsam eius dirigentes manum remisse occurremus. Idem faciendum est in beneficiis: quosdam doceamus et satis iudicemus, si conantur, si audent, si volunt. Facimus autem plerumque ingratos et ut sint favemus, tamquam ita demum magna sint beneficia nostra, si gratia illis referri non potuit: ut malignis lusoribus propositum est conlusorem traducere, cum damno scilicet ipsius lusus, qui non potest nisi consentitur extendi".

philosopho hoc nomine digno mutuatam esse negem. Clemens enim amicitiam κατ' ἀμοιβήν nihil aliud esse dicit nisi amicitiam utilitatis causa factam. Rectissime autem Aristoteles amicitiam κατ' ἀμοιβήν amicitiam imparium esse declaravit. Haec cognoscas ex eis locis librorum Ethicon Nicomacheorum, in quibus de ea re disseritur.

IX 1163 b 32: ἐν πάσαις δὲ ταῖς ἀνομοιοειδέσι φιλίαις τὸ ἀνάλογον ἰσάζει καὶ σώζει τὴν φιλίαν, καθάπερ εἴρηται, οἷον καὶ ἐν τῇ πολιτικῇ τῷ σκυτοτόμῳ ἀντὶ τῶν ὑποδημάτων ἀμοιβὴ γίνεται κατ' ἀξίαν, καὶ τῷ ὑφάντῃ καὶ τοῖς λοιποῖς.

IX 1164 a 35: τοιαύτη γὰρ ἡ κατ' ἀρετὴν φιλία. τὴν ἀμοιβήν τε ποιητέον κατὰ τὴν προαίρεσιν· αὕτη γὰρ τοῦ φίλου καὶ τῆς ἀρετῆς.

IX 1164 b 16: τὰ πολλὰ γὰρ οὐ τοῦ ἴσου τιμῶσιν οἱ ἔχοντες καὶ οἱ βουλόμενοι λαβεῖν· τὰ γὰρ οἰκεῖα καὶ ἃ διδόασιν ἑκάστοις φαίνεται πολλοῦ ἄξια. ἀλλ' ὅμως ἡ ἀμοιβὴ γίνεται πρὸς τοσοῦτον, ὅσον ἂν τάττωσι οἱ λαβόντες.

Deinde Clemens amicitiam ἐκ συνηθείας eandem esse putat atque amicitiam καθ' ἡδονήν. Aristoteles autem summo iure ad omne amicitiarum genus συνήθειαν i. e. consuetudinem necesse esse docet (EN IX 1166 b 34: καὶ ἡ μὲν φίλησις μετὰ συνηθείας). Neque ἡ ἐκ λόγου ἀγάπη contraria est amicitiae virtutis causa initae. Insuper non solum amicitias propter voluptatem, sed etiam amicitias propter utilitatem conglutinatas saepissime mutari quis neget?

Neque ullum sectatorem disciplinae Stoicae Clementis sententias de amicitia proferre potuisse puto. Nam Stoici inter bonos tantum amicitiam constare docuerunt. Praecipue tertium genus nunquam agnoverunt, semper Epicureos impugnaverunt[1]). Clementem autem amicitiam καθ' ἡδονήν rettulisse ad corporis voluptates vel inde cognoscas, quod huic generi in sequenti sententia ἡ ζῴου φιλία respondet. Chrysippus contra sapientiam summum bonum sapientique amicitiam opus esse docuit[2]). Quomodo igitur fieri potuit, ut coniunctiones voluptatis causa initas amicitias esse concederet? His argumentis moveor, ut Clementis locum e Chrysippo exhibitum esse negem. Clemens illam doctrinam ab auctore quodam (fortasse ab Ario Didymo) suscepisse videtur, qui Peripateticarum sententiarum meminit, cum nostrum locum componeret.

Venimus ad Epicureorum de amicitia doctrinam. Hi amicitiam permagni aestimaverunt. Cicero enim de fin. I 65 tradit: „de amicitia . . . Epicurus quidem ita dicit, omnium rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparaverit, nihil esse maius amicitia, nihil uberius, nihil iucundius.

---

[1]) cf. p. 18.

[2]) Haec intelleges ex loco Senecae (ep. 9,14), quem p. 14 attuli.

Nec vero hoc oratione solum sed multo magis vita et factis et moribus comprobavit" (Usener fr. 539). Haec cognosces etiam ex illo Epicuri dicto: ὁ γενναῖος περὶ σοφίαν καὶ φιλίαν μάλιστα γίνεται· ὧν τὸ μέν ἐστι θνητὸν ἀγαθόν, τὸ δ' ἀθάνατον[1]).

Amicitiae causam duxerunt utilitatem. Diog. Laert. X 120 tradit: καὶ τὴν φιλίαν διὰ τὰς χρείας (Us. 540)[2]). Tamen, si diutius constaret amicitia, benevolentiam quandam utilitatis immemorem apparere docuerunt, ut ex Cic. de fin. I 69 patet: „cum autem usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, ut, etiamsi nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur".

Amicum autem ut nos ipsos nos amare debere. Apud Cic. de fin. I 68 vir Epicureus loquitur: „quocirca eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in se ipsum". Dolores quoque amici causa suscipiendos esse. Plut. adv. Coloten 8 p. 1111 b: καὶ τῆς ἡδονῆς ἕνεκα τὴν φιλίαν αἱρούμενος (λέγει 'Επίκουρος) ὑπὲρ τῶν φίλων τὰς μεγίστας ἀλγηδόνας ἀναδέχεσθαι (Us. 546). Integritas amicitiae Epicureorum saepe et antiquioribus temporibus et recentioribus in suspicionem vocata est. Sed id omni causa egere Zeller[3]) et Usener[4]) ostenderunt.

Jam consideremus breviter, quomodo singularum disciplinarum placita graviora cohaereant ac primum comparemus doctrinam Stoicam cum Peripateticorum doctrina. Stoici ex postulata virtute sapientis omnia dicta deducentes unum tantum amicitiae genus esse eamque nisi in bonis constare non posse docent. Peripatetici contra res humanas usumque respicientes in omnium vita amicitiam aliquid valere animadvertunt. Neque vero omnes amicitias eandam vim habere contendunt, sed tria genera distinguunt,

---

1) Wottke, epikur. Spruchs. in „Wiener Studien" 1888, p. 197, no. 78.

2) cf. etiam Wottke, no. 23: πᾶσα φιλία δι' ἑαυτὴν αἱρετή· ἀρχὴν δ' εἴληφεν ἀπὸ τῆς ὠφελείας.

3) Philos. d. Griechen III 1⁴, 478 sq.

4) Wiener Studien 1888, 184 sq.

quorum summum positum sit in virtute. Summum igitur Peripateticorum est solum genus Stoicorum. Paucos amicos conquirendos esse Aristoteles censebat, Stoici contra πολυφιλίαν bonum ducebant. Singula utriusque scholae placita congruunt, quod mirum non est. Stoicos enim cum vetustiores tum Panaetium et Posidonium haud pauca a Peripateticis sumpsisse constat.

Epicureorum amicitia est id Peripateticorum genus, quod positum est in utilitate. Stoici autem, qui bonorum tantum amicitiam agnoscebant, contra Epicureorum de amicitia placita acerrime pugnaverunt, ut Seneca ep. 9,8: „sapiens etiam si contentus est se, tamen habere amicum vult, si nihil aliud, ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat, non ad hoc, quod dicebat Epicurus in hac epistula, »ut habeat, qui sibi aegro adsideat, succurrat in vincula coniecto vel inopi«, sed ut habeat aliquem, cui ipse aegro adsideat, quem ipse circumventum hostili custodia liberet. Qui se spectat et propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat . . . Hae sunt amicitiae, quas temporarias populus appellat: qui utilitatis causa adsumptus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit . . .“.

Affero etiam Platonis de amicitia doctrinam, cum § 29 et 46 Ciceronem eam spectare mihi persuasum sit (cf. p. 44 sq.). Hic philosophus amicitiam eodem modo ex inopia oriri censet, sicut in Symposio τὸν ἔρωτα gigni explanat (Zeller II 1[4] 611). Τὸν γὰρ πένητα, inquit in Lyside 215 D, τῷ πλουσίῳ ἀναγκάζεσθαι φίλον εἶναι καὶ τὸν ἀσθενῆ τῷ ἰσχυρῷ τῆς ἐπικουρίας ἕνεκα, καὶ τὸν κάμνοντα τῷ ἰατρῷ[1]).

[1]) Neque vero Plato semper idem de amicitia docuit. Quamquam in Lysidis fine quaestio ad exitum pervenire non videtur (Lys. 222 E εἰ γὰρ μήτε οἱ φιλούμενοι μήτε οἱ φιλοῦντες μήτε οἱ ὅμοιοι μήτε οἱ ἀνόμοιοι μήτε οἱ ἀγαθοὶ μήτε οἱ οἰκεῖοι μήτε τὰ ἄλλα ὅσα διεληλύθαμεν. . . ἐγὼ μὲν οὐκέτι ἔχω τί λέγω), tamen certa placita statui possunt: 1. ὁ δὲ κακὸς οὔτ' ἀγαθῷ οὔτε κακῷ οὐδέποτε εἰς ἀληθῆ φιλίαν ἔρχεται (Lys. 214 D). Cum hac sententia congruit prior Phaedri (255 B) dicti pars: οὐ γὰρ δή ποτε εἵμαρται κακὸν κακῷ φίλον οὐδ' ἀγαθὸν μὴ φίλον ἀγαθῷ εἶναι. Altera pars cum Lysidis dicto pugnat, quod docet (219 B) τὸ οὔτε κακὸν οὔτε ἀγαθὸν ἄρα διὰ τὸ κακὸν καὶ

Ex his, quae exposui, sequitur, ut diversarum scholarum rationes distinguere saepe sit difficillimum. Plerumque autem ea re nos aliquid certi assecuturos esse puto, si non tam placita ipsa perscrutamur — ut adhuc factum est — quam quomodo argumentis confirmentur. Priusquam autem inquiramus, utrum Peripateticorum an Stoicorum rationem secutus sit Cicero in Laelio componendo, paulo diligentius mihi disserendum esse puto de Laelii compositione et dispositione, ut videamus, utrum sententiae bene dispositae sint necne.

Caput II[1].

A.

In prooemio praemisso Cicero narrat, quibus rebus, ut librum de amicitia conscriberet, commotus sit. Scaevolam enim sibi disputationem, quam Laelius habuisset de amicitia, exposuisse. Huius disputationis sententias memoriae mandatas, cum Atticus, ut amicitiam tractaret, se incitavisset, arbitratu suo se expressisse et Laelium ipsum cum utroque genero disputantem induxisse (§§ 1—5).

Sermonem Cicero paucis diebus post P. Scipionis Africani mortem habitum fingit. Laelius tali amico orbatus valde movetur, sed se ipsum se consolari dicit, quod careat eo errore, quo amicorum decessu plerique angantur. Neque enim Scipioni mali quicquam accidisse putat. Nam Scipionem, etiamsi immortalitatem optare noluisset, omnia,

τὸ ἐχθρὸν τοῦ ἀγαθοῦ φίλον ἐστὶν ἕνεκα τοῦ ἀγαθοῦ καὶ φίλου. 2. In Lyside 216 B Plato exponit οὔτε ἄρα τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ οὔτε τὸ ἐναντίον τῷ ἐναντίῳ φίλον, in Alcibiade autem 126 C Alcibiades Socrati interroganti: ἆρ' οὖν φιλίαν λέγεις ὁμόνοιαν ἢ διχόνοιαν, respondet: ὁμόνοιαν.

[1]) Commentatores Laelii in priore huius capitis parte neglexi, cum mihi persuasum sit eos studuisse non tam Ciceronis sententiarum ordinem explicare quam suas dispositiones ei obtrudere. Quod ni fecissem, continuo contra eos mihi pugnandum fuisset, quae res argumentationi meae tenebras offudisset. Respiciam autem commentatores in altera huius capitis parte.

quae homini optare fas esset, adeptum esse. Moriendi autem sensum celeritatem abstulisse. Laelius addit § 12: „quo de genere mortis difficile dictu est, quid homines suspicentur, videtis“. Omnium autem Africani dierum illum fuisse clarissimum, cum pridie ante diem supremum senatu dimisso solemniter domum reductus esset, ut ad superos videretur deos potius quam ad inferos pervenisse. Tum Laelius pergit § 13: „neque enim adsentior iis, qui haec nuper disserere coeperunt, cum corporibus simul animos interire atque omnia morte deleri“ et ex consensu gentium apparere pronuntiat animos non interire cum corporibus. Sin intereant, ut nihil boni, sic certe nihil mali esse in morte.

Hanc igitur sententiarum ordinem non optime compositum esse facile cognoscitur. Nam Ciceroni, priusquam fieri potuit, ut cum Scipione praeclare actum esse diceret, quod vita eius plena honorum fuisset, mortem non esse malum disserendum erat. Ciceronem sic disposuisse sententias inde mihi concludendum esse videtur, quod § 12 exclamat: „quid homines suspicentur, videtis“. Puto Ciceronem, postquam in § 11 initio dixit: „cum illo vero quis neget actum esse paeclare?“, perrexisse: „neque enim adsentior iis, qui... (§§ 13 et 14)“. Tum occasio ei data erat, ut Scipionem summis laudibus efferret, et §§ 11 et 12, quas nunc legimus, cum Scipione, etiamsi immortalitatem optare noluisset, actum esse praeclare exposuit et, cum se antea de genere mortis agere meminisset, addidit § 12: „quid homines suspicentur, videtis“. Rem ita se habere inde quoque intellegitur, quod Laelius se eo errore carere § 10 dicit, quo amicorum decessu plerique angantur. Insequentibus ergo explicandum erat Laelio, quid esset ille error. Hoc fecit §§ 13 demum et 14. Itaque paragraphos 11 et 12 postea a Cicerone insertas esse elucet[1]).

---

[1]) Cum postea mihi occasio non detur disserendi, unde Cicero hunc locum sumpserit, nunc mihi, quid de eo sentiam, proferre liceat. Ciceronem ad hunc locum componendum consolationem quandam adhibuisse verisimile est. Nam primum verba § 13: „qui haec nuper

§ 15 Laelius se beate vixisse, quod cum Scipione viveret, docet.

Ad disputationis caput Cicero § 16 transit. Laelium amicitiae illius recordatione elatum rogat Fannius, ut de amicitia disputet: quid sentiat, qualem existumet, quae praecepta det. De his verbis explicandis mihi disserendum erit, simulac totius disputationis ordinem cognoverimus. § 17 Laelius init ea, quae Fannius et Scaevola proposuerunt, neque vero de amicitia disputare vult. Se eos hortari tantum posse, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponant, dicit. Amicitiam autem nisi in bonis esse non posse pronuntiat, neque vero eam interpretatur sapientiam, quam nemo mortalis adhuc consecutus sit, sed eam, quae sit in vita communi. Tum Laelius loquitur de societate, qua multo artior sit amicitia. Amicitiam enim esse omnium rerum cum benevolentia et caritate consensionem. Nihil esse amicitia melius, cum maximas opportunitates praebeat. Subito enuntiat Laelius § 22: „neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit“. Primum hanc divisionem Cicero antea non expressit. Tum § 18 exposuit nonnullos („qui haec subtilius disserunt“) docere nisi in sapientibus amicitiam esse non posse, se ipsum autem sapientiam ex consuetudine vitae communis interpretari. Perfectam igitur

---

disserere coeperunt“ male ad Laelii et Scipionis aetatem quadrant. Multo enim antea Epicurus corpus et animum una confici morte docuit. Deinde §§ 11 et 12 falso loco insertae significant Ciceronem fonte quodam usum esse. Qua ex consolatione Tullius hauserit, dicere nequeo. Illarum enim numerum permagnum fuisse constat. Plerumque in iis bipartita erat dispositio: primum cum mortuo bene actum esse contenditur, tum male cum superstitibus. Atque in priore parte mortem non esse malum exponitur. Duo argumenta afferuntur: 1. animos non interire cum corporibus, 2. sin autem intereant, nullum sensum manere. Ut igitur nihil boni, sic certe nihil mali esse in morte. Eandem dispositionem in Laelio servatam esse *A. Gercke* in tirocinio philologo sodalium regii seminarii Bonnensis, Berolini 1883, p. 44 observavit.

amicitiam tractare noluit. § 22 autem se de vera et perfecta loqui pronuntiat. De hoc loco infra accuratius mihi disserendum erit.

Insequentibus paragraphis (23 et 24) Cicero perseverat exponere amicitiae commodidates, atque eam necessariam esse ex contrario, ex dissensionibus et discordiis, apparere dicit. Laelius amicitiae definitionem dilatans concordiam civium interpretatur. Laudat Empedoclem et affert exemplum amicitiae Orestis et Pyladis ex Pacuvi fabula. Sed § 24 Cicero contra se ipsum dicit. Initio enim omnes homines amicitiae vim intellegere et re probare exponit („atque hoc quidem omnes mortales et intellegunt et re probant“), in fine vero huius paragraphi addit: „facile indicabat ipsa natura vim suam, cum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero iudicarent“. Quomodo haec explicanda sint, monstrabo p. 40 sq.

Verbis § 24: „hactenus mihi videor de amicitia quid sentirem potuisse dicere“ Laelius loquendi finem facit. Fannius autem et Scaevola eum, ut accuratius et copiosius materiam persequatur, movent. — Velim memoria retineas Laelium dixisse se hac parte, quid sentiret de amicitia, exposuisse.

§§ 26—32 se de amicitiae ortu agere Laelius profitetur (in fine § 32): „ortum quidem amicitiae videtis.“ Amicitiam a natura profectam esse contendit. Principium enim amicitiae esse amorem. Deinde similem sensum amoris exsistere, si aliquem nacti simus, cuius cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur (§ 27).

§ 28 sq. virtutem maxime allicere ad amicitiam contendit Laelius. Propter virtutem enim et probitatem nos etiam eos, quos nunquam viderimus, diligere. Beneficiis autem augeri benevolentiam.

§§ 29 (fin.)—32 in eos invehitur, qui amicitiam ab imbecillitate proficisci putant.

De hac parte, in qua Ciceronem originem amicitiae tractasse videmus, postea diligentius agam.

Jam Cicero, quamquam nondum satis de amicitiae natura et vi egit, huic de ortu quaestioni annectit brevem de interitu disputationem (§§ 33—35). Difficillimum esse amicitiam usque ad extremum vitae diem permanere pronuntiat. Tres fere enumerat causas: 1. vel ut non idem expediat, intercidere saepe, vel ut de re publica non idem sentiatur; 2. mutari saepe mores et adversis rebus et aetate ingravescente a) puerorum aut adulescentium, b) eorum, qui longius in amicitia provecti sint; 3. magna discidia et plerumque iusta nasci, cum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, postuletur.

Deinde Cicero prima et tertia causa iunctis primum § 36 („quam ob rem id primum videamus, si placet") „quatenus amor in amicitia progredi debeat", quaerit (§§ 36—44). Affert exempla, quibus excusationem non esse peccati demonstret, si amici causa peccaverimus. Porro necesse esse putat accuratius exponere, perfecta sapientia si simus, rem nihil difficultatis habituram esse. Sed quoniam de iis amicis, qui inveniantur in vita communi, loquatur, sibi illud praeceptum dandum esse putat.

§ 37 annectens hanc legem constituit Laelius (§ 40), ut neque rogemus res turpes nec faciamus rogati. Minime enim accipiendam esse excusationem, si quis contra rem publicam se amici causa fecisse fateatur. Laelium non tam de amicis quam de sociis agere elucet (cf. § 42 „quia sine sociis nemo quicquam tale conatur"). § 44 monet Laelius, ut ab amicis honesta tantum petamus eorumque causa nisi honesta non faciamus. Postulat, ut plurimum in amicitia amicorum bene suadentium auctoritas valeat. Sequitur § 45 refutatio dictorum duorum: „nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Graecia, placuisse opinor mirabilia quaedam . . .: partim fugiendas esse nimias amicitias . . .

alios autem dicere aiunt . . . praesidii adiumentique causa . . . amicitias esse expetendas."

Conexum sententiarum interruptum esse apparet. Cicero enim agit de quaestione „quatenus amor in amicitia progredi debeat". Ante hanc quaestionem dubitationes contra amicitiam prolatas refellere debuit. Neque §§ 45 sqq. expositiones ad rem, quam sibi proposuerat, quadrare Cicero ipse non nescivit, ut ex § 56 verbis patet: „Sed haec hactenus. Constituendi autem sunt, qui sint in amicitia fines et quasi termini diligendi."

In §§ 45—55, quas huic quaestioni inserit, invehitur primum in eos, qui „fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus", tum in eos, qui „praesidii adiumentique causa, non benevolentiae neque caritatis, amicitias esse expetendas" contendunt. Causam priorem contra amicitiam prolatam refellit §§ 47 et 48 (— „repudientur"). De sententiis sequentibus (— § 50), quae non tam arte cum antecedentibus iuncta sunt, infra loquar.

§ 51 autem Cicero eos redarguit, qui praesidii adiumentique causa expetendas esse amicitias putant. §§ 52—55 aggreditur ea, quae Hedonici sentiunt, beatos qui putentur minime adpetere amicitias. Profectus a tyranni vita, quam sit inanis, demonstrat. Ut tyrannorum moribus, sic praepotentium opibus excludi amicitias fideles. Nihil esse stultius quam reliqua omnia praeter amicitiam appetere.

Tum Cicero § 56 ad propositum redit et, qui sint in amicitia fines diligendi, inquirit, ac primum quidem tres sententias refellit (§ 56—59 „meliorem"), tum, postquam § 59 (fin.) et § 60 Biantis dictum „ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus" valde reprehendit, ipse amicitiae fines constituit § 61: „his igitur finibus utendum arbitror, ut, cum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas, ut, etiamsi qua fortuna acciderit, ut minus iustae amicorum voluntates

adiuvandae sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum de via sit, modo ne summa turpitudo sequatur; est enim, quatenus amicitiae dari venia possit". Elucet hanc definitionem de vera amicitia, i. e. de ea, quae posita sit in virtute, proferri non posse. Attamen Laelius id spectaverat § 59: „alius igitur finis verae amicitiae constituendus est." Deinde huic definitioni § 37 repugnat: „nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris; nam cum conciliatrix amicitiae virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris".

§§ 62 sqq. ad novum argumentum, amicorum electionem, Cicero transit, sed inopinate, nam § 62 antecedenti paragrapho non bene annectit. Disserit enim de signis et notis, quibus amicos iudicemus. Eligendos esse constantes, neque vero eos cognoscere facile esse. Firmamentum autem stabilitatis constare in amicorum fide. Sapientibus Cicero duo praecepta dat § 65 („est enim boni viri, quem eundem sapientem licet dicere, haec duo tenere in amicitia"), quae non ad veram sed ad vulgarem amicitiam quadrare negari non potest. Adde quod Cicero § 18 indignatus exclamarat: „quare sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum, concedant, ut viri boni fuerint", § 65 autem virum bonum appellandum esse sapientem concedit.

§ 67 et 68 sequitur „quaestio subdifficilis, num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi" (haec quadrant ad § 34, 2). Laelius docet novos amicos non repudiandos, sed veteres, quoniam consuetudo maxime valeat, esse conservandos.

Deinceps (§ 69—73) agitur de excellentiis in amicitia. Superiores amicos praestantiam cum inferioribus communicare debere ostendit Laelius (§§ 69 et 70). Inferiorum autem esse non dolere se a suis superari (§§ 71—73).

Sequuntur duae annotationes ad totam quaestionem pertinentes: „amicitiae conroboratis iam confirmatisque et ingeniis et aetatibus iudicandae sunt" et „recte etiam

praecipi potest in amicitiis ne intemperata quaedam benevolentia . . . impediat magnas utilitates amicorum." Saepe accidere, ut discedendum sit ab amicis. Decretum, quod sequitur § 76 („atque in omni re considerandum est, et quid postules ab amico et quid patiare a te impetrari"), conexum turbat. Id post § 73 ponendum fuisse puto, quo loco sensum bonum praebet. Prior enim huius placiti pars ad inferiores amicos referenda est, posterior ad superiores. §§ 74 igitur et 75 Cicero falso loco inseruit (cf. p. 50).

Tum Laelius pergit explicare nonnunquam amicitias solvendas esse additque § 76: „iam enim a sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio nostra delabitur". Quid hoc sibi vult? Nonne iam dudum (§§ 38 sq., 51 sqq., 61, 65 sq., 69 sq. etc.) de amicitiis non perfectorum hominum locutus erat? Sed ad hoc p. 47 redibo. §§ 76—78 autem exponit Laelius nos saepe amicitias deponere cogi. Cavendum vero esse, ne ex amicitiis graves inimicitiae exsistant. Haec vitia nos effugere posse Laelius dicit, si dignos tantum diligamus, quos invenire difficillimum sit. Plerosque enim propter utilitatem amicitias inire. Neque vero virtutem esse neglegendam. Ea neglecta saepe errari. Talem neglegentiam esse magnopere vituperandam, cum amicitia sit omnium rerum maxime necessaria. De amicitia enim omnes idem sentire Laelius § 86 pronuntiat: „sine amicitia vitam esse nullam" (§§ 79—87). Tum in fine § 87 et § 88 Laelius paululum deflectit neque vitam sine amicis sed sine hominibus tolerari non posse demonstrat. Sententia § 88 „est enim varius et multiplex usus amicitiae, multaeque causae suspicionum offensionumque dantur . . ." annectitur multo melius § 85 quam antecedenti sententiae, quare §§ 86—88 (— „nec ea, quae ab ea moneamur, audimus") Ciceronem inseruisse perspicimus.

§§ 88 (fin.) — 90 multas suspicionum offensionumque causas esse demonstratur, quae quomodo sublevandae sint, Laelius explicat. Adulationem, maximum amicitiarum

venenum, tractat §§ 91—99. § 100 Laelius exclamat: „sed nescio quo pacto ab amicitiis perfectorum hominum, id est sapientium (de hac dico sapientia, quae videtur in hominem cadere posse), ad leves amicitias defluxit oratio“[1]). Sequitur epilogus, in quo Laelius nonnullas sententias repetit et ad suam cum Scipione amicitiam adhibet. Cum generos hortatur, ut virtutem et post eam amicitiam summum bonum habeant, concludit Laelius.

Ciceronem igitur Laelium diligenter composuisse negari debet. Permultis enim locis ordo et nexus sententiarum valde turbatus esse videtur neque raro auctor contra se ipsum disserit.

B.

Quaeramus autem, quam dispositionem Cicero sequendam sibi proposuerit. § 16 Fannius indicat dispositionem, cum Laelium oret, ut de amicitia disputet „quid sentiat, qualem existumet, quae praecepta det“. Hanc autem dispositionem Laelium suam fecisse ex § 24 cognovimus: „hactenus mihi videor de amicitia quid sentirem potuisse dicere“. Sed utrum in sequentibus eadem dispositio servetur necne, lis est. Post § 32 incisionem faciendam esse e verbis Ciceronis et inde, quod Fannius et Scaevola loquuntur facile intellegitur. Hac in parte agitur de amicitiae ortu. Sed respondetne id ei parti, quam Fannius annuntiavit verbis „qualem existumes“? Quaestionem de ortu habitam in naturam quoque rei introducere, quis neget? Sed quaestio de origine habita pars tantum est totius de natura quaestionis. — Denique, quae §§ 33—100 Laelius exponit, non respondere verbis „quae praecepta des“, sponte intellegitur. Nam quin in ea parte non solum praecepta sed etiam disputationes alterius generis insint,

---

[1]) cf. p. 25.

dubitari non potest[1]). Difficultates sunt permagnae. Ut eas expediret, *MSeyffert*[2]) verba, quae § 16 leguntur, hoc modo argute interpretatus est. Verbis „qualem existumes, quae praecepta des“ explicari contendit verba „quid sentias“. Duas igitur partis Ciceronem distinxisse atque in parte priore (§§ 17—25) praecepta dare opinatur. Sed haec opinio probari non potest, nam primum ipse hic locus hanc interpretationem non admittit, cum omnia tria membra pari modo iuncta sint. Deinde ne ipse quidem auctor haec verba sic intellegi voluit: verbis enim „hactenus mihi videor de amicitia quid sentirem potuisse dicere“ (§ 24) diserte professus est se unam partem absolvisse. Denique in altera parte, quam Seyffert statuit, plura praecepta sine dubio insunt quam in priore.

EWeissenborn[3]) studuit monstrare Ciceronem totam de amicitia disputationem in tres partes divisisse. In prima parte (§§ 17—24) Laelium exponere dicit, quid sentiat de amicitia, in altera (§§ 26—61), qualem existumet amicitiam, ac primum quidem de ortu, deinde de finibus disserere. Tertia in parte (§ 62—100) Laelium praecepta dare dicit. Ciceronem etiamsi concedo hoc modo res disponere voluisse — quod neque verbis expressit neque significavit — tamen hanc dispositionem secutum esse negandum est. Nam ut in secunda quoque parte praecepta dantur (§ 40, 44, 61), sic in tertia parte de amicitiae natura agitur (§§ 82 sq.; § 86—88, in quibus amicitiam

---

[1]) Ob eam rem ea, quae *CMeissner* (M. T. Cic. Lael., für den Schulgebrauch erklärt, Leipzig[2] 1898 p. 4 sq.) affert, repudianda sunt.

[2]) M. T. Cic. Lael., Brandenburg 1844 p. 89 (editionis secundae, quam curavit CFWMüller p. 96): „de amicitia ist nicht mit disputaris, sondern mit quid sentias zu verbinden: deine Ansicht über die Freundschaft entwickelst, woran sich dann in explikativer Weise quam existimes, quae praecepta des anschließen: nämlich worein du ihr Wesen setzest (theoretischer Teil) und was du in bezug auf sie für Regeln zu geben hast (praktischer Teil). Durch diesen Gegensatz ist zugleich das Asyndeton gerechtfertigt“.

[3]) Gedankengang u. Gliederung von Cic. Lael., Progr. Mühlhausen 1882.

necessariam esse exponitur!). Deinde et in prima et in altera parte similia proferuntur (§ 19 et 26). Weissenbornum studuisse, ut suam dispositionem Ciceroni obtruderet, ex eis, quae p. 10 profert, intelleges[1]).

Sed quomodo factum est, ut Cicero § 16 pronuntiatam dispositionem non sequeretur? Dispositionem ipsam non perspicuam apparet esse. Nam primum „sentire“ non longe abesse ab „existimando“ elucet. Deinde si quis dicat „quid“ (τί) et „qualem“ (ποῖον) premenda esse, tale discrimen in Laelio faciendum esse nego, cum neminem effugere puto Ciceronem subtiliores definitiones ubique vitasse. Fieri potuit, ut dispositionem ex fonte quodam hauriret. Sed cum fontem non accurate sequeretur, dispositio ipsa § 16 prolata servata non est[2]). (Vide p. 61 sq.)

Vel ex his, quae exposui, apparere puto Ciceronem complures fontes adhibuisse. Neque enim conexus turbatus compositioque mala explicatur, nisi Ciceronem duos compluresve fontes adhibuisse sumimus. Sed certiora argumenta afferri possunt.

---

[1]) „Wir haben jetzt nicht nur eine streng logische Gliederung, sondern auch eine solche Behandlung und Durchführung des Themas, die geradezu künstlerisch vollendet genannt zu werden verdient, denn indem die Abhandlung nach der Begriffsbestimmung den vollen Inhalt dieses Begriffs umschreibt und aus alledem wiederum die sich für die Einzelfälle des praktischen Lebens ergebenden Regeln ableitet, so durchmißt sie vom Allgemeinen zum Besonderen und vom Abstrakten zum Konkreten fortschreitend gewissermaßen drei konzentrische Kreise und gibt damit ein Ganzes, das in der gegenseitigen Durchdringung von Theorie und Praxis geradezu als ein Muster angesehen werden muß“.

[2]) Omnes, quantum video, editiones scholis destinatae „tertiam“ partem (§§ 36—100), quam statuunt, in duo capita dividunt: §§ 36—75 Ciceronem de sapientium familiaritatibus, §§ 76—100 de vulgaribus praecepta dare dicunt. Hos commentatores Ciceronis verbis § 76: „iam enim . . .“ deceptos ess A Gercke (Einltg. i. d. AW I[1] 75) animadvertit.

Caput III.

Quam ob rem primum consideremus §§ 18—24.

Initio ipsius de amicitia disputationis Cicero pronuntiat (§ 18): „sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse". Hoc placitum Stoicis tantum attribui posse ex eis, quae antea (p. 17) exposui, cognoscitur. Stoicorum igitur doctrinam Laelii fundamentum facere videtur, sed attenuat horum placita. Stoici enim, „qui haec subtilius disserunt", negant quemquam esse virum bonum nisi sapientem. Neque vero hanc doctrinam Cicero suam facit. Quamquam in incerto relinquit, utrum Stoicorum subtilis ratio vera sit necne, tamen eis approbat hanc rationem parum respicere utilitatem communem. Verba „sit ita sane" eis nimium concedunt, scilicet „virum bonum nisi sapientem non esse"; sed statim ipse profitetur sibi persuasum esse hanc sapientiam, quam Stoici interpretantur, omnino nusquam reperiri. Itaque sapientiam ad usum vitamque communem refert, sed ne vocabulo quidem sapientiae utitur; pro „sapientia communi" enim dicit: „ea, quae sunt in usu vitaque communi" (§ 18). Neque vero satis habet gravissima Stoicae sapientiae signa detraxisse, supra in Stoicos acriter invehitur: „quare sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum, concedant, ut viri boni fuerint. Ne id quidem facient, negabunt id nisi sapienti posse concedi. Agamus igitur pingui, ut aiunt Minerva"[1]).

Consideremus autem, qua causa Cicero commotus sit, ut contra Stoicam doctrinam pugnaret. Ciceronem primum argumenta Stoicorum concessisse, tum valde repressisse vidimus. Haec disserendi ratio, quam ab Antiocho Asca-

---

[1]) Hanc sententiam Seyffert l. l. p. 104 sermone Germanico his verbis acute interpretatur: „wir wollen also unserm bornierten, simpeln Verstande folgen".

lonita didicerat, Ciceroni facultatem dedit, ut Stoicorum doctrinam minueret atque ad Peripateticos propius accederet. Id autem spectavit. Peripateticorum enim et Stoicorum doctrinam in Laelio miscere voluit. Peripatetici autem vitam communem magnopere respiciebant, Stoici neglegebant. Cicero igitur perfectissimam Stoicorum sapientiam reprimere debuit. Peripateticos spectans pedetemptim Stoicorum doctrinam deprimit. Sapientem Stoicum recusat, sapientiam huius scholae nihil nisi nomen esse dicit. Itaque Gerckio iudice fontem Stoicum e Theophrasto corrigit. Neque vero totum Peripateticis se tradit. Hi enim etiam in malis amicitiam constare docebant. Cicero autem suum placitum: „nisi in bonis amicitiam esse non posse" sustinere videtur. Quare assecutus est, ut „sapientiae" vel „bonitatis" notione modo latiore modo artiore sensu uti possit. Quae cum ita essent, fieri non potuit, quin Cicero saepe contra se ipsum loqueretur. Eum hoc vitium non effugisse, inde colligo, quod saepe ad § 18 decreta reicere videtur (§§ 20 sq., 22, 38 sq., 65, 76, 77, 100). Atque eum id nonnunquam impestive facere videbimus infra.

Sed haec hactenus. Quaeramus, quam doctrinam Cicero § 19 sqq. proferat. Amicitiam a natura ducit. Quamquam talia docuerunt et Peripatetici et Stoici, tamen Ciceronem hoc loco fontem Stoicum exscripsisse puto. Nam Peripatetici duxerunt amicitiam non tam a societate, quam ab amore, Stoici autem a societate humana. Deinde § 27 Cicero denuo de amicitia innata loquitur et eius principium amorem esse exponit, quam paragraphum optime ad Peripateticorum doctrinam quadrare p. 42 ostendam, neque in eodem fonte utramque rationem fuisse verisimile est[1]. Denique § 19 verba „sed ea non satis

---

[1]) Bohnenblust p. 7 paragraphum 19 tribuit Panaetio. Sed inter Lael. § 19 et Off. I 12 satis magnam similitudinem exstare nego.

Lael. 19	Off. I 12
Lael. 19 sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse	Off. I 12 eademque natura vi rationis hominem conciliat homini

habet firmitatis“ Stoicam originem redolent. Cur enim amicitiam a natura partam Cicero non magni aestimat? Deest quidem in talibus „amicitiis“ virtus, summum atque solum Stoicorum bonum.

§ 20 Cicero amicitiae vim exponit. Comparemus autem hunc locum cum placitis, quae in Officiis inveniuntur[1]).

Lael. 20 quanta autem vis amicitiae sit, ex hoc intellegi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos iungeretur.

Off. I 53 gradus autem plures sunt societatis hominum ... propior est eiusdem gentis, nationis, linguae ... artior vero colligatio est societatis propinquorum; ab illa enim inmensa societate humani generis in exiguum angustumque concluditur.

In Officiis tum exponitur nullam coniunctionem praestantiorem esse quam amicitias bonorum. Quamquam verba similia sunt, tamen Officia et Laelium eundem sensum non praebere intellegitur. Atque ex Off. II 29 sq. patet Officia aliam de amicorum numero doctrinam proferre ac Laelium: „quod cum perspicuum sit benevolentiae vim esse magnam, metus inbecillam, sequitur, ut disseramus, quibus rebus facillime possimus eam, quam volumus, adipisci cum honore et fide caritatem. Sed ea non pariter

---

nos, ut inter omnes esset societas quaedam, maior autem, ut quisque proxume accederet. Itaque cives potiores quam peregrini, propinqui quam alieni, cum his enim amicitiam natura ipsa peperit.

et ad vitae societatem ingeneratque in primis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt.

Tales sententias omnibus Stoicis communes fuisse constat.

[1]) Bohnenblust p. 9 hos locos affert, ut demonstret nos in Laelio Panaeti doctrinam ante oculos habere.

omnes egemus; nam ad cuiusque vitam institutam accommodandum est, a multisne opus sit an satis sit a paucis diligi". In Laelio contra legitur: omnis caritas inter duos aut inter paucos iungitur. Ne conceditur quidem fieri posse, ut nonnunquam inter multos aut complures amicitia conglutinetur. Officiorum et Laelii placita dissentire videmus. Cicero autem in hac sententia Ethica Nicomachea sequitur[1]). Qua re efficitur, quantopere cavendum sit, ne nimis cito Laelii sententias, quae similitudinem quandam cum Officiis praebere videantur, adscribamus Panaetio.

Huic Laelii placito, de quo modo egimus, annectitur amicitiae definitio (§ 20): „est enim amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio; qua quidem haut scio an excepta sapientia nihil melius homini sit a dis immortalibus datum." Priorem huius definitionis partem Cicero argumentis non confirmat. Amicitiam autem summum bonum esse amplius exponit neque vero verba „excepta sapientia" respicit. Haec a Cicerone cum consilio addita esse Gercke observavit. Auctor eius enim amicitiam omnium optimum bonum esse ostendere voluit. Ea autem re, quod verba „excepta sapientia" adiunguntur, totius sententiae vis minuitur. Praecipue illud „nihil" est ineptum. Rem ita esse etiam ex § 47 verbis („amicitiam . . ., qua nihil a dis immortalibus melius habemus, nihil iucundius"), quo loco sapientia non excepta Cicero Peripateticos sequitur (cf. p. 53 sq.). § 20 autem verba „excepta sapientia" nisi Stoicis non concedit.

Cicero tabulam bonorum apud Peripateticos adamatam profert, quibus amicitiam multo melius esse demonstrat:

---

[1]) Cf. p. 12 sq. EE autem et MM placita ad Officiorum rationem optime quadrant. In MM vestigia Stoicarum definitionum detexit Ramsauer (Zur Charakteristik der Magna Moralia, Oldenburg 1858). Etiam in amicorum numero Magna Moralia et Panaetius — a quo Cicero Off. II 29 sq. sumpsisse videtur — conspirant.

1. divitias, 2. bonam valetudinem, 3. potentiam, 4. honores, 5. voluptates. Refutationem voluptatis („beluarum hoc quidem extremum“) Stoicorum esse elucet. Illa quattuor priora bona, quae ducuntur, caduca et incerta esse Cicero pronuntiat, quod in fortunae temeritate positae sint. Tum bonorum enumeratio suppletur vel potius cetera bona virtuti cedere monstratur: accedit enim summum Stoicorum bonum: virtus. Neque tamen Cicero amicitiam virtuti postponi concedit, sed eam a virtute pendere docet: „qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem, sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest“ [1]). Cicero, ut virtutem non plus amicitia esse dicere possit, virtutem Stoicam attenuat et eius propriam vim detrahit (nam apud eos virtus amicitia multo maior est). Iam enim Cicero non illam magnificam intellegit sed virtutem communem, quam ex consuetudine vitae sermonisque interpretatur. Ut hoc assequatur, Stoicos verborum tantum magnificentiam adamare contendit [2]).

Sed cur amicitia pulcherrimum donum deorum sit, exponit § 22. „Amicitia“, inquit, „res plurimas continet“. Res plurimae autem sunt singula bona, quae

---

[1]) Ciceronem ipsum Laelio componendo hanc doctrinam excogitasse patet ex Finium V, 68 „ita fit, ut duo genera propter se expetendorum reperiantur, unum quod est in iis, in quibus completur illud extremum, quae sunt aut animi aut corporis; haec autem, quae sunt extrinsecus, id est quae nec in animo insunt neque in corpore, ut amici, ut parentes, ut liberi, ut propinqui, ut ipsa patria, sunt illa quidem sua sponte cara sed eodem in genere, quo illa, non sunt. Nec vero unquam summum bonum assequi quisquam posset, si omnia illa, quae sunt extra, quamquam expetenda, summo bono continerentur. Quo modo igitur, inquies, verum esse poterit omnia referri ad summum bonum, si amicitiae . . . summo bono non continentur?“

[2]) Eodem modo Cicero in quarto de Finibus libro § 60 Zenonem invehitur. Ciceronem hac in re Antiochum, hic autem cum in aliis tum in impugnandis Stoicorum de bonorum fine decretis ac refutandis Carneadis auctoritatem secutum esse monstravit *HDoege*, Quae ratio intercedat inter Panaetium et Ant. Ascalonitam . . . Diss. Halis 1896.

Cicero hic denuo enarrat. Deest quidem virtus in hac dinumeratione, § 20 Cicero virtutem nihil aliud nisi amicitiam esse dixerat; haec igitur summum bonum est, quod in ea insunt omnia alia bona. Nunc demum § 20 definitio („nihil melius") intellegitur. Eiusdem enim disciplinae doctrinam ante oculos nos habere ac § 22 mihi persuasum est. Hac autem paragrapho Ciceronem Peripateticorum auctoritatem secutum esse puto.

Neque enim § 22 a Stoicis profecta est, qui amicitiam propter opportunitates expetendam esse negabant neque nullo loco excludi concedebant. Sine dubio etiam mali homines aqua et igni utuntur. Cicero autem nos aqua et igni pluribus locis quam amicitia uti negat. Ergo, si Ciceronem § 22 Stoica decreta proferre sumeremus, tota argumentatio esset absurda. Adde quod vitam sine amicis esse nullam Aristoteles isdem argumentis confirmat atque Cicero.

EN VIII 1155 a 5: ἄνευ γὰρ φίλων οὐδεὶς ἕλοιτ' ἂν ζῆν, ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα· καὶ γὰρ πλουτοῦσι καὶ ἀρχὰς καὶ δυναστείας κεκτημένοις δοκεῖ φίλων μάλιστ' εἶναι χρεία... ἢ πῶς ἂν τηρηθείη καὶ σώζοιτ' ἄνευ φίλων; ὅσῳ γὰρ πλείων, τοσούτῳ ἐπισφαλεστέρα. ἐν πενίᾳ τε καὶ ταῖς λοιπαῖς δυστυχίαις μόνην οἴονται καταφυγὴν εἶναι τοὺς φίλους... „σύν τε δύ' ἐρχομένω" καὶ γὰρ νοῆσαι καὶ πρᾶξαι δυνατώτεροι.

Proverbium autem illud (§ 22 „itaque non aqua, non igni, ut aiunt, locis pluribus utimur quam amicitia"), quod apud Plutarchum de adul. et am. 5 sic legimus: καθὸ δὴ καὶ λέγεται πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος ἀναγκαιότερος εἶναι, a Theophrasto primo allatum esse Heylbut (p. 19 sq.) ex eadem locutione haud ita solita, qua Cicero et Plutarchus utuntur, probavit.

Verbis: „nam et secundas res splendidiores facit amicitia et adversas partiens communicansque leviores" eandem bipartitionem Cicero praebet, quam invenimus EN IX 1169 b 13: διὸ καὶ ἐπιζητεῖται, πότερον ἐν εὐτυχίαις μᾶλλον δεῖ φίλων ἢ ἐν ἀτυχίαις.

Itaque Ciceronem § 22 fontem Peripateticum secutum esse evicisse puto. Qua re, ut antea commemoravi, efficitur, ut definitio § 20 a Peripateticis sumpta esse videatur. Atque etiam ad eam haud male illae definitiones quadrare videntur, quibus Aristoteles utitur. EN VIII 1155 b 33 εὔνοιαν γὰρ ἐν ἀντιπεπονθόσι φιλίαν εἶναι, et VIII 1156 a 7: τρία δὴ τὰ τῆς φιλίας εἴδη, ἰσάριθμα τοῖς φιλητοῖς· καθ' ἕκαστον γάρ ἐστιν ἀντιφίλησις οὐ λανθάνουσα (cum benevolentia et caritate consensio). Ex ea re, quod § 20 definitio Peripateticorum est, sequitur amplius, ut Cicero Peripateticos spectans bonorum enumerationem proferat et Stoicam virtutis notionem oppugnet. Rem ita se habere elucet etiam e § 20 refutatione singulorum bonorum: „illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris quam in fortunae temeritate.“ Neque enim Stoici fortunam existere concesserunt, sed omnia fato (εἱμαρμένῃ) regi censuerunt[1]). Peripatetici contra et Academici[2]) a Stoicis acerrime impugnabantur, quod res exteriores et caducas in bonorum numero ponebant[3]). Paragrapho 22 autem Cicero amicitiae vim demonstraturus eam „res plurimas“ continere monet. „Res plurimae“ autem sunt illae caducae, propter quas Stoici semper contendebant cum Peripateticis.

Ea autem, quae antea diximus Ciceronem Stoicorum doctrinam minuisse, ut Peripatetica decreta afferendi potestatem haberet, his ipsis § 20 sq. sententiis comprobatur.

Revertamur autem nunc, postquam § 22 puram Peri-

---

1) Zeller III 1³ 157; Gercke, Chrysippea, Lipsiae 1886.

2) Zeller Phil. d. Gr. II 2³, 335.

3) Theophrastum quoque fortunae vim docuisse neque Ciceronem id nescivisse ex Tusc. disp. V 25 intellegitur: „Vexatur idem Theophrastus et libris et scholis omnium philosophorum, quod in Callisthene suo laudarit illam sententiam: Vitam regit fortuna, non sapientia. Negant ab ullo philosopho quicquam dictum esse languidius. Recte id quidem, sed nihil intellego dici potuisse constantius. Si enim tot sunt in corpore bona, tot extra corpus in casu atque fortuna, nonne consentaneum est plus fortunam, quae domina rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, quam consilium valere?“

pateticorum doctrinam inesse evicimus, ad illam § 22 sententiam: „neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit". Illa vocula „nunc" Ciceronem prodit. Hoc enim verbo concedit § 22 sq. sententias etiam ad vulgarem amicitiam referendas esse, quamquam ipse contrarium pronuntiat. Nam § 22 placita ei nimis Peripateticam doctrinam redolere neque ad primum suum dictum „nisi in bonis amicitiam esse non posse" quadrare videbantur. Cum ab hac discrepantia animos avertere vellet, audacter se de perfecta amicitia loqui affirmavit. Paragraphum 22 autem a Stoicorum doctrina abhorrere antea exposui. Tria esse amicitiae genera Cicero nusquam antea ut debuit dixit. § 18 enim nisi in bonis amicitiam esse non posse posuit. Quas amicitias vulgares aut mediocres appellat? Eum haec intellegere genera, quae Peripatetici nominaverunt κατὰ τὸ ἡδὺ καὶ τὸ χρήσιμον, inde concludo, quod addit: „quae tamen ipsa et delectat et prodest". Sed ex his verbis videmus, quantopere Cicero rerum ordinem inverterit, ut Peripateticum ortum § 22 celaret. Cicero enim concedit verbo „tamen" **etiam** vulgarem et mediocrem amicitiam delectare et prodesse. Quid hoc sibi vult? Nonne delectare et prodesse proprium est horum amicitiae generum? Cicero dicere debuit perfectam amicitiam nonnunquam vel saepe — non semper, neque enim huius generis natura in hac re posita est — delectare et prodesse. Neque vero id concedere voluit. Quod si fecisset, § 22 placita omittere aut mediocres et vulgares amicitias, quae non in virtute positae sunt, agnoscere debuit. Paulo postea (§ 30) de utilitate perfectae amicitiae recte iudicat.

Quam singularis sit amicitia, Cicero etiam § 23 ostendere pergit atque eundem sine dubio fontem sequitur. Nos Panaeti doctrinam ante oculos non habere ex Tullii verbis perspicitur: „et, quod difficilius dictu est, mortui vivunt; tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur, horum

vita laudabilis" (§ 23). Nam constat Panaetium animi immortalitatem negasse[1]). Ciceroni hanc doctrinam notam fuisse ex Tusc. disp. I 79 sequitur: „Credamus igitur Panaetio a Platone suo dissentienti? Quem enim omnibus locis divinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum philosophorum appellat, huius hanc unam sententiam de immortalitate animorum non probat." Neque ceterorum cuiusquam Stoicorum hae sunt sententiae, sed singula placita a Peripateticis prolata esse ostendam. Illud § 23 dictum: „verum enim amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui" Theophrasto ab Heylbutio (p. 18 sq.) recte attributum esse mihi persuasum est.[2])

---

[1]) Zeller, Beitr. zur Kenntnis des Stoikers Panaitios in Comm. in hon. Th. Mommseni 1877 p. 402 sqq. = Kleine Schriften ed. Lenze p. 179 sqq.

[2]) Bonhöfferi II p. 109 sententiae accedere non possum. Illi enim omnes Laelii sententias e Panaetio fluxisse constare videtur: „Die ganze Verschiedenheit der streng stoischen Auffassung der Freundschaft und des hierin offenbar ganz peripatetisierenden Panaetios spiegelt sich darin, daß Laelius den Satz Zenos vom alter ego bezeichnenderweise durch ein vorgesetztes quasi mildert, wodurch er augenscheinlich einen ganz anderen Sinn bekommt (21, 80. cf. 7,23 tamquam exemplar aliquod intuetur sui)." Zenonem autem hoc placitum longe aliter atque Aristotelem (EN IX 1166 a 31 et 1170 b 6) intellexisse Bonhöffer ipse II p. 107 exponit: „Der Ausspruch des Zeno, der Freund sei ein zweites Ich (D. L. VII 23) ist, wie Wilamowitz richtig bemerkt hat (Antig. von Karystos p. 121, A. 23), nicht in dem sentimentalen Sinn, der gewöhnlich damit verbunden wird, sondern buchstäblich zu verstehen. Einen schlagenden Beweis hierfür liefert auch Epiktet, der auf die Frage, ob der Kyniker einen kranken Freund pflegen werde, die Gegenfrage stellt: woher soll doch der Kyniker einen Freund haben? Es müßte ja einer seinesgleichen sein (ἄλλος τοιοῦτος III 22,62). So buchstäblich also hat sich Epiktet jenen Grundsatz Zenons angeeignet, daß er nicht einmal den Weisen der Freundschaft des Kynikers für fähig erachtet, weil er ihm nicht ganz gleich ist." Neque vero Bohnenblust ostendit Panaetium in ea re tantopere a Stoicis decessisse. Ciceronem autem illud placitum non ex Panaetio sumpsisse inde perspicitur, quod huic placito adiungitur particula „quocirca" illa sententia, quam a Panaetii de immortalitate animi doctrina abhorrere demonstravi.

Benevolentiae nomen in § 23 adhibitum Alfredum Gercke offendit: ille enim recte „quod si exemeris ex rerum natura amicitiae coniunctionem“ exspectat, quia tota paragraphus 23 huius memoriam postulare ei videtur atque antea § 19 „sublata benevolentia amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet“: neque igitur nunc eadem virtute sublata „nec domus ulla nec urbs stare poterit . . .“ Cicero apte contendere debuit. Tamen quod traditur corrigendum non est. Ciceronem ipsum benevolentiae coniunctionem temere admisisse puto. Ex aliis enim Laelii locis, in quibus Cicero benevolentiae vocabulo utitur, mihi apparere videtur Tullium nonnunquam pro amicitiae vocabulo usum esse vocabulo benevolentiae, ut voces variaret.

Lael. 26 sq.: „amor enim, ex quo amicitia nominata est, princeps est ad benevolentiam coniungendam. Nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur saepe, qui simulatione amicitiae coluntur et observantur temporis causa, in amicitia autem nihil fictum est . . . Quapropter a natura mihi videtur potius quam ab indigentia orta amicitia.“ Confer etiam § 29: „confirmatur amor et beneficio aecepto et studio perspecto et consuetudine adiuncta, quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo. Quam si qui putant ab inbecillitate proficisci, ut sit per quem adsequatur, quod quisque desideret, humilem sane relinquunt et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae.“

Itaque § 23 quoque Ciceronem benevolentiae vocabulo vocis variandae causa usum esse puto, et eo magis, quod paulo post pergit: „quanta vis amicitiae concordiaeque sit . . .[1])“

---

1) Pura autem Peripatetica doctrina exstat in § 50: benevolentia est „amicitiae fons a natura constitutus“. Aristoteles enim aliter amicitiam atque benevolentiam intellexit (EN IX 1166 b 34 καὶ ἡ μὲν φίλησις μετὰ συνηθείας, ἡ δ' εὔνοια καὶ ἐκ προσπαίου) atque etiam benevolentiam amicitiae fontem esse docuit (EN 1167 a 3 ἔοικε (scil. εὔνοια) δὴ ἀρχὴ φιλίας εἶναι). Idem legitur MM VII 1212 a.

Ciceronem autem hoc loco benevolentiam pro amicitia posuisse, ex Peripateticorum doctrina, quam sequitur in §23 fine, patet: vim amicitiae enim et concordiae permagnam esse simili modo atque in Laelio EN VIII 1155 a 22 exponitur: ἔοικε δὲ καὶ τὰς πόλεις συνέχειν ἡ φιλία, καὶ οἱ νομοθέται μᾶλλον περὶ αὐτὴν σπουδάζειν ἢ τὴν δικαιοσύνην· ἡ γὰρ ὁμόνοια ὅμοιόν τι τῇ φιλίᾳ ἔοικεν εἶναι, ταύτης δὲ μάλιστ᾽ ἐφίενται καὶ τὴν στάσιν ἔχθραν οὖσαν μάλιστα ἐξελαύνουσιν.

Etiam § 24 Cicero Empedocle allato ad Peripateticos se applicat. EN VIII 1155 b 7 enim legimus: ἄλλοι τε καὶ Ἐμπεδοκλῆς· τὸ γὰρ ὅμοιον τοῦ ὁμοίου ἐφίεσθαι. Hanc sententiam latius explanatam invenies MM II 1208 b 12 sqq. et EE VII 1235 a 10 sqq.

Tum Cicero Pyladis et Orestis amicitiae mentionem facit, sed, ut p. 22 exposui, secum pugnat. Quomodo haec explicanda sint, ostendam. Ciceronem enim illud exemplum ex suo de finibus libro sumpsisse puto.

Lael. 24 qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvi nova fabula! cum ignorante rege, uter Orestes esset, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta; quid arbitramur in vera facturos fuisse?	Fin. V 63 qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, cum illa dicuntur: „Ego sum Orestes,“ contraque ab altero: „immo enimvero ego sum, inquam, Orestes.“ Cum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi: „Ambo ergo una necarier precamur“, quotiens hoc agitur, ecquandone nisi admirationibus maximis? .. Talibus exemplis non fictae solum fabulae, verum etiam historiae refertae sunt, et quidem maxime nostrae.

Horum locorum similitudo elucet. Ciceroni, ut illud exemplum conexui § 24 insereret, dicendum erat omnes homines amicitiam re probare. Hoc fecit. Sed postquam

exemplum attulit, addidit verba: „facile indicabat ipsa natura vim suam, cum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero iudicarent," quae, si in illo de finibus libro legerentur, non offenderent. In Finium igitur argumentationibus defixus Cicero aliena inseruit. Qua ex re, quam velociter Laelium composuerit, perspicitur.

Atque etiam ex paragraphis 26—32 mihi apparere videtur fontes et Peripateticum et Stoicum exscripsisse Ciceronem.

Ex verbis § 26 „sed antiquior et pulchrior et magis a natura ipsa profecta alia causa" elucet Ciceronem praeter amorem, quem illam antiquiorem et pulchriorem causam esse putat, etiam aliam amicitiae agnovisse. Hanc esse eam, quae in utilitate consistat, e contextu intellegitur. Neque vero haec sententia Stoicorum est. Quam vehementer illi aggressi sunt Epicureos, qui utilitatis causa amicitias conglutinandas esse censerent! Sed videamus, quid Cicero ipse de causa amicitiae proferat. „Amor enim," inquit (§ 26), „princeps est ad benevolentiam coniungendam." Rectissime, sed quis neget amorem principium omnium amicitiae generum esse? Etiam amicitia illorum, qui propter inbecillitatem amicitias expetendas esse putant, ab amore proficiscitur. Amant enim utilitatem. Optime Aristoteles in EN VIII 1155 b 18 explanat: δοκεῖ γὰρ οὐ πᾶν φιλεῖσθαι ἀλλὰ τὸ φιλητόν, τοῦτο δ' εἶναι ἀγαθὸν ἢ ἡδὺ ἢ χρήσιμον[1]).

Quae in sententia sequenti („nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur saepe, qui simulatione amicitiae coluntur et observantur temporis causa . . .") a Cicerone exponuntur, pro argumento habenda non sunt. § 27 demum (a „quod quidem quale sit . . .") placitum illud „amor princeps est ad benevolentiam coniungendam" certis argumentis confirmatur. Quamquam et Stoici et Peripatetici amicitiam hominibus innatam esse docebant,

---

1) Hanc doctrinam Cicero ipse alio Laelii loco profert (§ 102): „virtutem enim amavi illius" Adde locos p. 42 sq. conlatos.

tamen hoc loco Peripateticorum doctrinam referri inde colligo, quod § 27 non tam de innata societate quam de innato amore agitur. Neque vero amorem innatum esse Stoici docuerunt, sed societatem, neque in bestiis amorem existere censuerunt. Haec intelleges, si hunc Laelii locum cum Officiis I §§ 53–56 et Laelii paragrapho 19 sq. comparaveris. Ad Peripateticos autem artissime se applicat Cicero § 27:

Lael. 27 quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest, quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus et ab iis ita amantur, ut facile earum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius, primum ex ea caritate, quae est inter natos et parentes, quae dirimi nisi detestabili scelere non potest.	EN VIII 1155 a 16 φύσει τ' ἐνυπάρχειν ἔοικε πρὸς τὸ γεγεννημένον τῷ γεννήσαντι καὶ πρὸς τὸ γεννῆσαν τῷ γεννηθέντι, οὐ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἀλλὰ καὶ ἐν ὄρνισι καὶ τοῖς πλείστοις τῶν ζῴων, καὶ τοῖς ὁμοεθνέσι πρὸς ἄλληλα, καὶ μάλιστα τοῖς ἀνθρώποις.

Tum Cicero pergit: „deinde cum similis sensus extitit amoris, si aliquem nacti sumus, cuius cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur". Sententiarum seriem hanc esse Cicero voluit: amoris sensus in homine evidentius est quam in bestiis, primum ex ea caritate, quae est inter natos et parentes, deinde si in aliquo virtutem et probitatem videmus.

Haec placita cum Stoicorum doctrina non congruunt. § 20 enim Cicero exclamat: „virtus (Stoicorum scil.) amicitiam et gignit et continet". Nonne his verbis virtutem amicitiae principium esse contendit? Atque etiam § 100 Stoicorum sine ulla dubitatione doctrinam proferens exponit: „virtus, virtus inquam, ... et conciliat amicitias et conservat. In ea est enim convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia; quae cum se extulit et ostendit suum lumen et idem aspexit adgnovitque in alio,

ad id se admovet vicissimque accipit illud, quod in altero est; ex quo exardescit sive amor sive amicitia; utrumque enim dictum est ab amando.“ Stoicam doctrinam habes etiam § 61 „virtus, quam sequitur caritas . . .“ § 27 autem Cicero virtutem in amicitiis iungendis secundum locum tenere contendit. Sed illam secundam amicitiae causam solam Stoicorum causam esse puto.

Placitum „deinde . . .“ (§ 27 fin.) Stoicorum esse Bohnenblust p. 9 ostendit. Neque vero id pro argumento habeo, quod Laelii placita cum Officiis I 56 congruunt, sed quod ex libro primo de natura deorum § 121 ea Stoicorum esse apparet.

Lael. 27 . . . si aliquem nacti sumus, cuius cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur. Nihil est enim virtute amabilius, nihil, quod magis adliciat ad diligendum, quippe cum propter virtutem et probitatem etiam eos, quos numquam vidimus, quodam modo diligamus.

Nat. deorum I 121 quanto Stoici melius, qui a vobis reprehenduntur. Censent autem sapientes sapientibus etiam ignotis esse amicos. Nihil est enim virtute amabilius; quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur.

Ex his locis virtutem ante amorem adesse debere patet. Propter virtutem enim sapientes etiam ignotis amici esse dicuntur.

§ 20 Cicero Peripateticos secutus omnem caritatem inter duos aut inter paucos iungi asseverat, § 28 autem Stoicam doctrinam profert. Omnes enim virtute et probitate praeditos, etiamsi eos nunquam viderimus, a nobis diligi pronuntiat. Exempla, quae sequuntur, ad rem propositam haud bene quadrant[1]).

[1]) Memorabile autem est etiam in Officiis Pyrrum et Hannibalem similiter induci:

Illa autem sententia (§ 29): „quam si qui putant ab inbecillitate proficisci, ut sit, per quem adsequatur, quod quisque desideret, humilem sane relinquunt et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae, quam ex inopia atque indigentia natam volunt“ Ciceronem Platonis doctrinam significare puto, quem amicitiam ex inopia et indigentia (ἐνδείᾳ) derivasse p. 18 exposui.

Quamquam Platonis doctrinam et Peripatetici (EE 1244 b 12) et Stoici refutaverunt (cf. p. 14), tamen hunc locum a Stoicis sumptam esse inde colligo, quod refutationis ratio ad Chrysippi distinctionem, quam supra (p. 14) attuli, bene quadrat, §§ 46 et 51 autem, in quibus ad eandem rem Cicero redit (vide p. 54 sq.) ad Peripateticorum doctrinam et rationem propius accedunt. Deinde § 51 cum § 29 non congruit. In illa enim paragrapho Laelius se Scipione egisse dicit („ubi enim studia nostra viguissent, si nunquam consilio, nunquam opera nostra nec domi nec militiae Scipio eguisset?“), § 29 autem Laelius ut vir vere Stoicus grandiloquus pronuntiat: „quid enim? Africanus indigens mei? Minime hercule! ac ne ego quidem illius; sed ego admiratione quadam virtutis eius, ille vicissim opinione fortasse non nulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit.“

Sententia quae sequitur: „sed quamquam utilitates multae et magnae consecutae sunt, non sunt tamen ab earum spe causae diligendi profectae“ (§ 30 fin.), solam Stoicorum doctrinam reddit.

De initio autem § 32 paulo accuratius mihi disserendum est. Heylbut enim aliique proferunt sententias, quibus

Lael. 28 cum duobus ducibus de imperio in Italia est decertatum, Pyrro et Hannibale; ab altero propter probitatem eius non nimis alienos animos habemus, alterum propter crudelitatem semper haec civitas oderit.	Off. I 38 cum vero de imperio decertatur . . ., causas omnino subesse tamen oportet easdem, quas dixi paulo ante iustas causas esse bellorum . . . cum . . . Pyrro de imperio dimicabatur. Poeni foedifragi, crudelis Hannibal, reliqui iustiores.

accedere non possum. Heylbut §§ 30—32 a Cicerone duo amicitiarum genera confundi sic explicat p. 14 sq.: „Cum enim § 30 extr. monuerit (Cicero scil.), quamquam utilitates multae et magnae amicitiam sequantur, tamen non ab earum spe causas diligendi proficisci cumque usque ad finem huius disputationis (§ 32 extr.) unius utilitatis rationem habere videatur, subito incidit voluptatis mentio, ut hac pro illa utatur."

Heylbutium commentatoris cuiusdam interpretatione, ut hoc iudicium proferat, commotum esse suspicor. Commentatores enim sentiunt „his" esse ablativum neutri pluralis ac significare rationem, quam Cicero ante protulerit[1]). Neque vero antea ullam Cicero rationem protulit, sed Platonis doctrinam reppulit, qui amicitiam ex inopia derivaverat. Cicero autem, cum etiam Epicureorum amicitiam ex utilitate — non ex voluptate![2]) — oriri sciret, ad hos se vertit et, ut horum doctrinam plane repudiet, ea ratione utitur, quam Stoicos saepe contra Epicureos adhibuisse constat: dicit enim cum iis, qui omnia ad voluptatem referant, omnino non agendum eosque ab hoc sermone removendos esse. Neque igitur de amicitia, quae in voluptate posita sit, Cicero agit sed de ea, quae propter utilitatem conglutinetur. Rem ita se habere inde quoque intellegitur, quod Cicero, postquam Epicureos removit, pergit: „quam ob rem . . . intellegamus natura gigni sensum diligendi [non propter utilitatem!] et benevolentiae caritatem facta significatione probitatis." Cicero, quamquam Platonici et Epicurei similem rationem proferunt, necesse esse existimat diserte declarare Platonicos cum Epicureis non confundendos esse. Platonici enim aliis causis commoti amicitiam ab indigentia derivaverunt atque Epicurei, qui propter voluptatem amicitiam duxerunt ab utilitate. Ergo hoc modo § 32 initium interpretandum est: a Platonicis („his") Epicurei („qui pecudum ritu ad

---

1) „Die eben vorgetragene Theorie" Seyffert p. 212. Eum sequitur Meissner p. 31.

2) Confer p. 17 huius dissertationis.

voluptatem omnia referunt"), longe dissentiunt. „Nihil enim altum," inquit, „nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abiecerunt in rem tam humilem tamque contemptam."

Neque igitur § 32 contra opinionem voluptatis mentio incidit neque hoc loco duo amicitiarum genera confunduntur.

Respiciamus autem, quantopere Tullius illud § 18 pronuntiatum „nisi in bonis amicitiam esse non posse" lenivit! § 32 nisi „significationem probitatis" ad amicitias coniungendas nihil necesse esse exponit. Hoc modo Ciceronem Peripateticorum et Stoicorum disciplinam iungere voluisse puto. „Sic," inquit — si quidem eius sententiae accedimus — „et utilitates ex amicitia maximae capientur, et erit eius ortus a natura quam ab inbecillitate gravior et verior." Paulo ante dixerat gigni natura sensum diligendi et benevolentiae caritatem facta significatione probitatis. Verbis autem „gravior et verior ortus" aliam quoque minus graviorem et veriorem causam existere concedit. Sententia sequens: „nam si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolveret; sed quia natura mutari non potest, idcirco verae amicitiae sempiternae sunt" Peripateticorum doctrinam redolet, praeter veram enim amicitiam Cicero agnoscit amicitiam, quae non sempiterna est. Deinde similia in EN inveniuntur VIII 1156 a 19 „εὐδιάλυτοι δὴ αἱ τοιαῦταί εἰσι, μὴ διαμενόντων αὐτῶν ὁμοίων· ἐὰν γὰρ μηκέτι ἡδεῖς ἢ χρήσιμοι ὦσι, παύονται φιλοῦντες. τὸ δὲ χρήσιμον οὐ διαμένει, ἀλλ' ἄλλοτε ἄλλο γίγνεται. ἀπολυθέντος οὖν δι' ὃ φίλοι ἦσαν, διαλύεται καὶ ἡ φιλία, ὡς οὔσης τῆς φιλίας πρὸς ἐκεῖνα". Etiam IX 1164 a 9 talia leguntur. Neque vero Cicero eiusmodi sententias in suum usum convertens dixit: „amicitiae utilitate conglutinatae eadem commutata dissolvuntur", sed his verbis usus est: „si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolveret". Neque enim Stoicos unum tantum genus agnovisse plane oblitus est.

Itaque §§ 26—32 disciplinam Peripateticam et Stoicam a Cicerone confusam esse satis demonstrasse puto.

Consideremus alium locum, ex quo Ciceronem Peripateticum fontem ipsum adhibuisse intellegi videtur.

§ 76 Cicero enuntiat: „iam enim a sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio nostra delabitur“ et § 77: „loquor enim iam, ut paulo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis“. Si haec sola legimus Ciceronem antea non de vulgaribus, sed de sapientium amicitiis egisse nobis existimandum est. Sed quid est, quod in antecedentibus paragraphis tractabat?

§§ 62—78 in universum Peripateticorum decreta proferuntur.

Antithesim § 62 Socratis fuisse Xenophon Mem. II 4,2 et Diogenes Laertius II 30 testantur, quam Theophrastum quoque in libro „περὶ φιλίας“ attulisse ex Senecae fragmento allato (III 436 § 97 Haase) probavit Heylbut (p. 22).

§ 62 Cicero homines vituperat, quod in amicis eligendis neglegentes sint nec habeant quasi signa et notas. Graecam vocem „χαρακτῆρα“ scriptores Romanos iis ipsis „signis et notis“, quae Cicero adhibet, vertisse Heylbut satis demonstravit (p. 27), neque vero eiusmodi notationes, quae ingenium Theophrasteum redoleant, apud Ciceronem legi contendit. Placita §§ 63 et 64 haud male Theophrasti signa et notas reddere puto[1]). Sententiam illam § 62: „sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi; cuius generis est magna penuria“ in EN VIII 1156 b 25 sic legis: „ὀλίγοι γὰρ οἱ τοιοῦτοι (i. e. veri amici)... οὐδ’ ἀποδέξασθαι δὴ πρότερον οὐδ’ εἶναι φίλους, πρὶν ἑκάτερος ἑκατέρῳ φανῇ φιλητὸς καὶ πιστευθῇ...“

§ 63 similia inveniuntur in EE VII 1237 b 10: τὸ γὰρ κεκριμένον βέβαιον, τὰ δὲ μὴ ταχὺ γινόμενα μηδὲ ῥᾳδίως [οὐ] ποιεῖ τὴν κρίσιν ὀρθήν. οὐκ ἔστι δ’ ἄνευ πίστεως φιλία βέβαιος· ἡ δὲ πίστις οὐκ ἄνευ χρόνου. δεῖ γὰρ πεῖραν λαβεῖν, ὥσπερ λέγει καὶ Θέογνις·

[1]) Ad § 62 optime quadrat Theophrasti apud Senecam de matrimonio (Haase III frg. 50) dictum.

οὐ γὰρ ἂν εἰδείης ἀνδρὸς νόον οὐδὲ γυναικός,
πρὶν πειραθείης ὥσπερ ὑποζυγίου.

Fidem ad amicitias stabiliendas necessariam esse et in Laelio (§ 65) et in EN (VIII 1156 b 28; 1157 a 22) exponitur.

Eum eligendum esse, qui isdem rebus moveatur (Laelius § 65), Peripatetici quoque docuerunt EN VIII 1157 b 36: λέγεται γὰρ φιλότης ἡ ἰσότης.

Tum Cicero duo praecepta dat § 65 („primum ne quid fictum sit neve simulatum; aperte enim vel odisse magis ingenui est quam fronte occultare sententiam; deinde non solum ab aliquo allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum semper aliquid existimantem ab amico esse violatum"), quae ad Stoicorum amicitiam non pertinere sponte intellegitur. Cicero autem addit: „Ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Est enim boni viri, quem eundem sapientem licet dicere, haec duo tenere in amicitia." Nonne § 18 legimus: „Quare sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum, concedant, ut viri boni fuerint... Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides... hos viros bonos... appellandos putemus..."? Fidem igitur, priusquam amicitia gigni posset, exstare debere dixit — § 18(int.) enim nisi in talibus „viris bonis" amicitiam esse non posse pronuntiavit — § 65 autem, ut in amicitia nihil fictum etc. sit, postulat. Et quomodo Cicero talia praecepta sapientibus, quibus nemo perfectior est, dare potuit?

Res hoc modo mihi explicari videtur. Cicero, cum intellexisset neminem non effugiturum esse se de bonorum amicitia non loqui, discrepantiam tegere conatus verba: „ita fit..." inseruit.

§§ 65 et 66 igitur minime Stoicis attribuendae sunt, sed Peripateticis.

§§ 67 et 68 a Theophrasto sumptas esse puto, nam primum proverbium illud § 67 („multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit") a Theophrasto in libro περὶ φιλίας adhibitum esse Heylbut

p. 24 ostendit, deinde vetustati et consuetudini Peripateticos multum tribuisse ex EN VIII 1156 b 25 (ἔτι δὲ προσδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας) apparet. Quantopere Cicero his duabus paragraphis a Stoica doctrina digressus sit, cognosces, si eas cum § 28 Laelii et § 121 primi de nat. deorum libri comparaveris (cf. p. 13 et 43).

§§ 69—73, in quibus de excellentiis agitur, Peripatetica decreta referri facile intellegitur (cf. etiam schol. Aspasii ad EN 1158b 11: λέγει δὲ καὶ Εὔδημος καὶ Θεόφραστος, ὅτι καὶ καθ' ὑπεροχὴν φιλίαι ἐν τοῖς αὐτοῖς γίνονται, ἢ δι' ἡδονὴν ἢ διὰ τὸ χρήσιμον ἢ δι' ἀρετήν. γένοιντο γὰρ ἂν καὶ σπουδαῖοι φίλοι ὁ μὲν ἄρχων ὁ δὲ ἀρχόμενος, καὶ τὰ μὲν ἄλλα ἔσονται φίλοι, τὰ δὲ νόμιμα φυλάξουσιν ἐν τῷ εἶναι φίλοι, ὁ μὲν ὑπερεχόμενος, ὅσα προστάττει ὁ νόμος ..).

§ 54 Cicero ipse pronuntiat: „multorum opes praepotentium excludunt amicitias fideles", ergo §§ 69—73 de amicitiis minus fidelibus, levibus, agitur.

§ 74 ad novum argumentum Cicero transit, quod cum antecedentibus placitis non cohaeret. Amicitias ingeniis confirmatis ineundas esse et Peripatetici[1]) et Stoici[2]) docuerunt. Tamen § 74 ex Stoico fonte fluxisse suspicor. Sequens enim sententia („dispares enim mores, disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias, nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia")[3]) Peripateticorum doctrinae repugnat. Ut Heylbutio assentiar, qui placitum: „recte etiam praecipi potest in amicitiis, ne intemperata quaedam benevolentia, quod persaepe fit, impediat magnas utilitates amicorum" Theophrasteum esse ducit (p. 35), a me non impetravi. Dictum illud enim Theophrasti, quod a Plutarcho

---

1) EN IX 1165 b 25; EE VII 1236 a 38.

2) Off. I 47 „benevolentiam non adulescentulorum more ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia iudicemus".

3) Similia profert Plato Phaedr. 240 C, quo loco Antisthenem, ducem quasi Stoicorum, imitari videtur.

in vita Catonis minoris 37 sic traditur: κινδυνεύει τὸ λίαν φιλεῖν, ὥς φησι Θεόφραστος, αἴτιον τοῦ μισεῖν γίνεσθαι πολλάκις, alium sensum praebere puto. Id melius ad § 35 („odia etiam gigni sempiterna") et § 78 quadrare AGercke observavit. Neque illud decretum § 75: „quas qui impedire vult..." Peripateticis tribuendum esse videtur. Peripatetici enim illas „magnas res" impediendas esse pronuntiaverunt (EN IX 1165 b 17... ἆρ' οὖν εὐθὺς διαλυτέον; ἢ οὐ πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀνιάτοις διὰ τὴν μοχθηρίαν; ἐπανόρθωσιν δ' ἔχουσιν μᾶλλον βοηθητέον εἰς τὸ ἦθος ἢ τὴν οὐσίαν, ὅσῳ βέλτιον καὶ τῆς φιλίας οἰκειότερον. δόξειε δ' ἂν ὁ διαλυόμενος οὐδὲν ἄτοπον ποιεῖν . . . ἀλλοιωθέντα οὖν <u>ἀδυνατῶν</u> ἀνασῶσαι ἀφίσταται).

Neque igitur §§ 74 et 75 ex fonte Peripatetico fluxerunt. Cicero eas vel ex Stoico fonte sumpsit vel de suo addidit Stoicorum doctrinam secutus. Certum est fonti Peripatetico eum alius generis decreta inseruisse. Hoc modo explicatur etiam sententia § 76: „atque in omni re considerandum est, et quid postules ab amico et quid patiare a te impetrari", quam post § 73 ponendum esse p. 26 exposui. — Hoc decretum ad §§ 69—73 referendum esse etiam ex Aspasii scholio antea allato patet. Illa huius scholii verba: τὰ δὲ νόμιμα φυλάξουσιν ἐν τῷ εἶναι φίλοι, ὁ μὲν ὑπερεχόμενος, ὅσα προστάττει ὁ νόμος, eundem fere sensum praebent. — Ea autem, quae paragraphis sequentibus continentur, Peripateticorum disciplinae tribuenda sunt. In EN libro nono cap. 3 similia saepe invenies. Praecipue autem notanda est illa consensio:

Lael. 78 hic honos veteri amicitiae tribuendus, ut is in culpa sit, qui faciat, non, qui patiatur iniuriam.	EN IX 1165 b 34... τοῖς γενομένοις ἀπονεμητέον τι διὰ τὴν προγεγενημένην φιλίαν, ὅταν μὴ δι' ὑπερβολὴν μοχθηρίας ἡ διάλυσις γένηται.

Tum respicias velim, quanto mitiora praecepta Cicero §§ 76—78, quam §§ 74 et 75 dat!

§ 75 et saepe incidunt magnae res, ut discedendum	§ 78 quam ob rem primum danda opera est, ne qua ami-

sit ab amicis; quas qui impedire vult, quod desiderium non facile ferat, is et infirmus est mollisque natura et ob eam ipsam causam in amicitia parum iustus.	corum discidia fiant; sin tale aliquid evenerit, ut extinctae potius amicitiae quam oppressae videantur. Cavendum vero, ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitiae. § 76 tales . . . amicitiae sunt . . . dissuendae magis quam discindendae . . .

§ 75 enim Stoicorum doctrinam profert Cicero, §§ 76—78 autem leniora Peripatetica decreta. Sic explicatur, cur auctor easdem res bis tractet.

Atque etiam §§ 79—81 dicta Peripateticorum esse postea ostendam. Nunc autem redeamus ad illam § 76 sententiam, a qua profecti sumus: „iam enim a sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio nostra delabitur". Quomodo explicari potest Ciceronem, quamquam iam dudum de vulgaribus amicitiis loquitur, § 76 declarare se insequentibus paragraphis amicitias vulgares tractaturum esse?

Cicero, quoad potuit, Peripateticarum sententiarum originem celare studuit, ne contra se ipsum loqueretur, cum initio nisi in bonis amicitiam esse non posse pronuntiasset. Eo autem loco, quo ei occasio data videbatur, annotavit orationem quasi ad leves amicitias fluere.

Peripateticos autem Cicero etiam in § 79 sqq. sequitur. Placitum illud § 79: „digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. Rarum genus!" Theophrasto attribuendum esse ex EN[1]) Hieronymi[2]) aliorumque

[1]) VIII 1156 b 19 πᾶσα γὰρ φιλία δι' ἀγαθόν ἐστιν ἢ δι' ἡδονήν, ἢ ἁπλῶς ἢ τῷ φιλοῦντι, καὶ καθ' ὁμοιότητά τινα· ταύτῃ δὲ πάνθ' ὑπάρχει τὰ εἰρημένα καθ' αὐτούς. ταύτῃ γὰρ ὅμοια καὶ τὰ λοιπά, τό τε ἁπλῶς ἀγαθὸν καὶ ἡδὺ ἁπλῶς ἐστιν. μάλιστα δὲ ταῦτα φιλητά, καὶ τὸ φιλεῖν δὲ καὶ ἡ φιλία ἐν τούτοις μάλιστα καὶ ἀρίστη. σπανίας δ' εἰκὸς τὰς τοιαύτας εἶναι· ὀλίγοι γὰρ οἱ τοιοῦτοι.

[2]) Comment. in Mich. VI. col. 517 (Mart. p. 1219): scripsit Theophrastus

locis Heylbut probavit (p. 21).

Deinde sententia § 80: „ita pulcherrima illa et maxume naturali carent amicitia per se et propter se expetita“ Peripateticorum est. Nam Stoici unum tantum amicitiae genus agnoverunt. Atque illud dictum in § 80 fine: „est (verus amicus scil.) enim is, qui est tamquam alter idem“ rectissime Heylbut (p. 18 sq.) Theophrasto attribuit.

§ 81 Cicero rursus de amicitiae ortu agit, quo loco eum Peripateticos sequi puto. Ne unum quidem verbum de virtute, quae Stoicae amicitiae fons est, dicit. Puram atque egregiam Peripateticorum de amicitia rationem ante oculos habemus. Neque enim Stoicum quendam usquam illa verba protulisse puto: „qui et se ipse diligit et alterum anquirit, cuius animum ita cum suo misceat, ut efficiat paene unum ex duobus“.

§ 82 sententia: „nam maxumum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam“ ex Peripatetico fonte fluxisse videtur, cum Stoici verecundia amissa amicitiam quoque amitti docerent, sententia antecedens autem („neque quicquam unquam nisi honestum et rectum alter ab altero postulabit“) a Theophrasti disciplina abhorret. Gellius, postquam Ciceronem valde reprehendit NA I 3, 14, quod § 61 non dixisset, cuius modi declinatio esse deberet et in quanta voluntatis amici iniquitate, Theophrastum super hac re inquisitius et exactius Cicerone hoc modo disseruisse tradit I 3, 21: „Parva, inquit, et tenuis vel turpitudo vel infamia subeunda est, si ea re magna utilitas amico quaeri potest. Rependitur quippe et compensatur leve damnum delibatae honestatis maiore alia gravioreque in adiuvando amico honestate, minimaque illa labes et quasi lacuna famae munimentis partarum amico utilitatum solidatur . . .“ Neque igitur § 82 (sicut § 37 sententia

---

tria de amicitia volumina, omni eam praeferens caritati et tamen raram in rebus humanis contestatus est.“ Neque vero hunc locum magni aestimo.

„nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris") ex Theophrasto fluxit sed ex fonte Stoico. Atque etiam §§ 83 et 84 a Stoicis sumptae sunt (praecipue illa § 84 sententia: „virtuti opera danda est, sine qua nec amicitiam neque ullam rem expetendam consequi possumus; ea vero neglecta qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, cum eos gravis aliquis casus experiri cogit").

Sed § 85 proverbium „quocirca cum iudicaris, diligere oportet, non, cum dilexeris, iudicare" Theophrasti est (Heylbut p. 23).

Respiciamus autem §§ 45—55, quas cum antecedentibus paragraphis male cohaerere p. 23 sq. commemoravi. § 44 enim Cicero postulat, ut et honesta petamus ab amicis et eorum causa honesta tantum faciamus. § 45 autem inopinate duae dubitationes prolatae refelluntur. Prior est: „fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus; satis superque esse sibi suarum cuique rerum, alienis nimis implicari molestum esse...". Hanc Tullius refellit §§ 47—48. Valckenarius (diatr. ad Hippol. Eurip. v. 253) et Heylbut (p. 35) hoc loco Ciceronem cum Euripide pugnare existimant. Euripides enim Hippol. 253 dicit:

χρῆν γὰρ μετρίας εἰς ἀλλήλους
φιλίας θνητοὺς ἀνακρίνασθαι.

Valckenarius Ciceronem Chrysippi περὶ φιλίας librum adhibuisse conicit, Heylbut autem ex Tullii cum Plutarcho (de am. mult. 6) consensu refutationem a Theophrasto sumptam esse contendit. Neque vero Ciceronem Euripidem adortum esse mihi verisimile esse videtur. Verba § 45 enim „quos audio sapientes habitos in Graecia, placuisse opinor mirabilia quaedam (sed nihil est, quod illi non persequantur argutiis)" doctrinam philosophorum significant. Cyrenaicorum doctrinam reici puto (cf. Horatii versus epist. I 18 sq: „nunc in Aristippi furtim praecepta relabor, et mihi res, non me rebus subiungere conor"). Neque vero § 47 sententias e Stoico libro sumptas esse

concedo. Illud enim placitum: „Solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt, qua nihil a dis immortalibus melius habemus, nihil iucundius" a Stoicis abhorret. Sed sententia sequens, in qua contra securitatem pugnatur, proprium est disciplinae Stoicae. Attamen etiam Theophrastum talia proferre potuisse concedendum est, et eo magis, quod argumenta, quae sequuntur atque arte cum antecedentibus iuncta sunt, contra Stoicorum doctrinam acerrime pugnant. „Ergo hoc proprium est", inquit (47 fin), „animi bene constituti, et laetari bonis rebus et dolere contrariis. Quam ob rem, si cadit in sapientem animi dolor, qui profecto cadit, nisi ex eius animo extirpatam humanitatem arbitramur, quae causa est, cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam suscipiamus molestias?" Theophrastum autem in sapientem dolorem cadere docuisse constat (Heylbut, Archiv f. Gesch. d. Philosophie I [1888] 199). Neque Stoico proferre licuit illa § 48 (fin.) dicta „quam ob rem angor iste, qui pro amico saepe capiendus est, non tantum valet, ut tollat e vita amicitiam, non plus quam ut virtutes, quia non nullas curas et molestias adferunt, repudientur."

Adeamus alteram dubitationem (§ 46): „praesidii adiumentique causa, non benevolentiae neque caritatis, amicitias esse expetendas." De hac re Cicero egit iam §§ 29—32. Se argumenta antea tractata proferre non oblitus est, ut ex § 46 verbis apparet: „quem locum breviter perstrinxi." Neque vero in illis paragraphis perstrinxerat materiam, sed eam accuratius quam nostro loco exposuerat. Amicitiam non utilitatis causa expetendam esse antea §§ 29—32 explanat, nunc materiam in una perstringit paragrapho (51). Rerum ordinem Cicero plane invertit.

§ 51 autem Stoicam doctrinam contineri nego. Quamquam eorum doctrinam, qui ab indigentia amicitias derivant, „inhumanam" appellat (§ 46), tamen refutatio ipsa mitis est. Velim conferas, quomodo, qui utilitatis causa amicitias fingunt, refelluntur et § 29 sqq. et 51!

§ 29: quam si qui putant ab inbecillitate proficisci, ut sit, per quem adsequatur, quod quisque desideret, humilem sane relinquunt et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae . . . . . . (§ 32) nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abiecerunt in rem tam humilem tamque contemptam. Quam ob rem hos quidem ab hoc sermone removeamus . . .

51: atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatum causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiae tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum quam amici amor ipse delectat . . .

Notanda sunt § 51 verba: „maximeque virtute, in qua plurimum est praesidii". Neque enim Cicero virtutem solum praesidium appellat.

§§ 46 et 51 Cicero Peripateticos secutus Platonis doctrinam refellit. Ratio scilicet, quae adhibetur in Laelio et EE VII 1244 b, eadem fere est. Postquam doctrina ipsa (scil. τῆς ἐνδείας) allata est, cogitur:

EE VII 1244 b 10 ὥστε καὶ ἄνθρωπος ὁ εὐδαιμονέστατος ἥκιστα δεήσεται φίλου, ... ἀνάγκη ἄρα ἐλαχίστους εἶναι φίλους τῷ ἄριστα ζῶντι, καὶ ἀεὶ ἐλάττους γίνεσθαι καὶ μὴ σπουδάζειν ὅπως ὦσι φίλοι . . .

Lael. 46 *itaque,* ut quisque minimum firmitatis haberet minimumque virium, ita amicitias adpetere maxime; *ex eo fieri,* ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant, quam viri et inopes quam opulenti et calamitosi quam ii, qui putentur beati.

Atque etiam §§ 52—55 Peripateticis adscribendas esse censeo. Nam primum arte cum antecedentibus cohaerent, tum § 55 placita („amicos non parare, optumam et pulcherrimam vitae, ut ita dicam, supellectilem . . . . vita inculta et deserta ab amicis non possit esse

iucunda") a Stoicorum doctrina dissentiunt, denique similia a Peripateticis prolata esse ostendi potest. Sententia enim illa § 52: „nam quis est, pro deorum fidem atque hominum! qui velit, ut neque diligat quemquam nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere?" continetur in EN VIII 1155 a 5 ἄνευ γὰρ φίλων οὐδεὶς ἕλοιτ' ἂν ζῆν, ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα.

In tyranni vita nullum amicitiae locum esse, tamen eos simulatione dumtaxat ad tempus coli et Cicero § 52 et Aristoteles docet EN VIII 1161 a 32 ἐν τυραννίδι γὰρ οὐδὲν ἢ μικρὸν φιλίας et 1161 b 8 ἐπὶ μικρὸν δὴ καὶ ἐν ταῖς τυραννίσιν αἱ φιλίαι[1]). Etiam § 54 a Peripateticis profecta esse potest. Hi enim docuerunt veros amicos nisi bonos esse non posse atque in amicitiis maximum esse similitudinem.

Verbis (§ 55) „sed haec hactenus" Cicero se aberrasse confitetur. Eum §§ 45—55 (exceptis §§ 48[fin]—50) Peripateticum fontem secutum esse explanasse mihi videor. Sed quid faciemus cum §§ 48 (a „cum autem contrahat. . .") —50?

§ 48 Cicero exponit amorem exoriri, „si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus adplicet et adiungat." Antea autem (§§ 26 sq.) disseruerat principium esse amorem, tum demum virtutis adpetitionem accedere. Postquam §§ 26 sq. Peripateticam et Stoicam doctrinam conflavit (id quod p. 41 sqq. demonstravi), nunc veram Stoicorum rationem profert. Sed respiciamus, cur § 50 laudet similitudinem! Nonne § 18 luce clarius nisi inter bonos amicitiam esse non posse enuntiavit? Boni autem bonis sine dubio similes sunt. § 50 Cicero nos quasi orat: „concedetur profecto verum esse, ut bonos boni diligant adsciscantque sibi quasi propinquitate coniunctos atque natura." „Nihil est enim," inquit, „appetentius similium sui nec rapacius quam natura." Ex hac sententia cogit bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse.

---

[1]) Exempla, quae Bohnenblust p. 12 affert, ut demonstret Ciceronem hanc sententiam a Stoicis sumpsisse, mihi non probantur.

Sed quam caute disserit: „quam ob rem hoc quidem, Fanni et Scaevola, constet, ut opinor, bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam, qui est amicitiae fons a natura constitutus.“ Quanto distinctius § 28 concertat: „nihil est enim virtute amabilius, nihil, quod magis adliciat ad diligendum, quippe cum propter virtutem et probitatem etiam eos, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus.“ Omnino Cicero § 50 placabilior esse videtur. Hoc attinet praecipue ad illas sententias: „sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. Non enim est inhumana virtus neque immunis neque superba, quae etiam populos universos tueri eisque optume consulere soleat; quod non faceret profecto, si a caritate vulgi abhorreret.“ Eadem fere ratione Cicero utitur ac § 18 et §§ 20 sq Nam primum inter bonos naturalem amicitiam constare disputat, tum autem hanc bonitatem etiam ad multitudinem refert. Quin etiam plus a virtute divellit, quam § 18 et 21. In his enim paragraphis eam virtutem interpretatur, quae consistat in paucis viris illustribus, § 50 autem etiam virtutem vulgi intellegit. Et quibus argumentis Cicero utitur! Sine dubio haec fere exspectamus: „quod non faceret profecto, si a vulgo abhorreret.“ Ex eo autem, quod Cicero dicit: „si a caritate vulgi abhorreret,“ cognoscimus, quid spectaverit. Studuit enim vulgares amicitias ad virtutem referre. Cum Peripateticum fontem exscriberet, in quo etiam vulgares in utilitate vel voluptate positae amicitiae continuo respiciebantur, ipse autem se Stoicorum moralem disciplinam Laelii fundamentum fecisse non nesciret, nihil aliud ei relictum est, cum Peripateticorum placita omittere nollet, nisi ut Peripateticarum mediocres vel vulgares amicitias ad virtutem referret. Peripateticorum causa virtutis vim minuit, Stoicorum causa vulgi amicitias in virtute positas esse docuit. Ciceronem tales concessiones fonti nisi Peripatetico inserere non potuisse elucet, qua re Ciceronem §§ 45—55 fontem Peripateticum adhibuisse confirmatur, quod antea, ut opinor, probavi.

Unum amplius locum mihi afferre liceat, ex quo evidenter apparet, utrum Peripateticum ipsum fontem Cicero exscripserit necne. Quis enim putet §§ 86—87 ex fonte Stoico haustas esse? An quomodo Ciceronem talia scripsisse explicaretur, nisi eum fontem Peripateticum inspexisse sumeremus? Neque vero Ciceronem se decreta a Stoicorum doctrina abhorrentia proferre nescivisse suspicor, cum illa in ea parte afferat, in qua ipse se de levibus amicitiis agere concedit (§§ 76 et 77, § 100).

Amicitiam autem necessariam esse contendit: atque id in disputationis fine! Enumerat singula bona, quae a singulis despiciuntur: virtutem, divitias, honores. Sed „de amicitia," inquit (§ 86) „omnes ad unum idem sentiunt, et ii, qui ad rem publicam se contulerunt, et ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, et ii, qui suum negotium gerunt otiosi, postremo ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. Serpit enim nescio quo modo per omnium vitas amicitia nec ullam aetatis degendae rationem patitur esse expertem sui." Cicero igitur, ut suum dictum („sine amicitia vitam esse nullam") confirmet, nititur et in illis „multis", a quibus „virtus ipsa contemnitur et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur (§ 86 init.)" et in iis, „qui se totos tradiderunt voluptatibus." Satis habeo tria Laelii placita Ciceroni obicere: 1. „nisi in bonis amicitiam esse non posse" (§ 18). 2. „haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest" (§ 20). 3. „ab his, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt, nec mirum; nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abiecerunt in rem tam humilem tamque contemptam. Quam ob rem hos quidem ab hoc sermone removeamus" (§ 32).

Haec mea sententia confirmatur Pohlenzii[1]) de § 87 iudicio.

[1]) cf. p. 9 adn. 2.

His rebus expositis satis mihi docuisse videor Ciceronem ad Laelium conscribendum praeter consolationem quandam et suum de Finibus librum adhibuisse Theophrasti περὶ φιλίας libellum et Panaetii aliusve Stoici dissertationem moralem. Consideremus autem breviter respicientes, qua ratione Cicero usus sit, ut Stoicorum et Peripateticorum de amicitia doctrinam conflaret. Tullius, cum et in aliis scriptis ad philosophiam pertinentibus et in Laelio ad Stoicos propensissimum se praeberet, horum doctrinam Laelii fundamentum fecit. Nam cum initio dissertationis de amicitia scriptae Stoicos aperte profitetur („nisi in bonis amicitiam esse non posse“ § 18), tum in fine, postquam permultas Peripateticorum sententias protulit, pronuntiat (§ 104): „vos autem hortor, ut ita virtutem locetis, sine qua amicitia esse non potest, ut ea excepta nihil amicitia praestabilius putetis.“ Peripatetica autem placita huic Stoicae doctrinae inserere conatus est. Studuit enim illorum tria amicitiarum genera ad virtutem referre. Neque vero vulgares amicitiae facile iungi poterant cum virtute, quam Stoicos in altissimo, ut ita dicam, solio posuisse constat. Nihil aliud Ciceroni relictum erat nisi ut virtutis gloriae obtrectaret. Non solum virtutem ex usu vitaque communi interpretatus est — neque enim sapientem Stoicum reperiri rectissime contendit — sed etiam vulgi virtutem ad illud Stoicum postulatum: „nisi in bonis amicitiam esse non posse“ satis esse docuit. Ciceronem ipsum virtutis vim minuisse vel inde elucet, quod iis Laelii locis, in quibus Peripateticorum doctrinam cum Stoicorum iungere non necesse est, purissimam Stoicam doctrinam profert. § 21 Cicero virtutem = amicitiam ponit, § 104 autem virtutem amicitiae praeponit, qua ex re intellegimus Ciceronem § 21 virtutis vim debilitasse, ut §§ 22 sqq. Peripatetica placita afferre posset. Neque § 50 virtutem nisi ob eam rem ad multitudinem rettulit, ut in §§ 51 sqq. Peripateticum fontem exscriberet.

Hanc obscuram argumentationem ea re tegere studuit, quod subtiliores definitiones plerumque vitavit. Attamen

nonnunquam difficultates, in quas incidit, mira ratione solvere conatus est: § 22 se de vera tantum amicitia loqui pronuntiat, quamquam huius paragraphi placita ad omnia tria Peripateticorum genera quadrant; § 65 Cicero sapientibus talia praecepta dat, qualia nullo modo debuit; § 76 se insequentibus demum paragraphis de vulgaribus amicitiis acturum esse contendit, cum iam dudum de iis loquatur; atque etiam § 61 definitionem[1] cum virtute iungere vult: „virtus, quam sequitur caritas, minime repudianda est."

Ac ne materiam quidem Cicero bene adornavit. Dispositionem profert (§ 16) neque eam sequitur. Deinde non solum sententiarum conexus saepe interruptus est (§§ 10—14, 24, 44/5, 76 etc.), sed ne constanter quidem convenienterque sibi Cicero loquitur (§§ 37 et 61, 21 et 104). De amicitia liber quam velocissime conscriptus est. Comparari potest cum pavimento tessellato. Qui ab eo longius abest, iuncturas et lacunas non perspicit. Si propius accedis, eas intellegis.

---

[1] „His igitur finibus utendum arbitror, ut, cum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas, ut, etiamsi qua fortuna acciderit ut minus iustae amicorum voluntates adiuvandae sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum de via sit, modo ne summa turpitudo sequatur; est enim, quatenus amicitiae dari venia possit."

[2] Ciceronem in his §§ cum Epicureis contendere ex Finium libro I 66 sq. patet. Atque Ciceronem §§ 57 et 58 Laelii suum Finium librum vel fontem ipsum, quem in Finium libro adhibuit, secutum esse puto.

a)

Fin. I 68 quocirca eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in se ipsum (ad hoc Epicureum dictum Cicero respondet II 78).	Lael. 56 ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos (similiter § 57).

b)

Fin. I 70 sunt autem, qui dicant foedus esse quoddam sapientium, ut ne minus amicos quam se ipsos diligant.	Lael. 58 altera sententia est, quae definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus.

Satis pura extat Stoica doctrina paragraphis his: 18 (init.). 19 (med.). 27 (fin.) —31. 32 (fin.). 37. 40—44. 48 (fin.) et 49. 57 et 58[1]). 74 et 75. 82—84. 100 (med.) —104.

Peripateticorum doctrinam habes paragraphis, quae sequuntur: 15. 20 (init.). 22—24 (init.). 27 (med). 33—35. 45—48 (—„repudientur"). 51—55. 59 (ab „alius igitur finis") — 61 (—„dari venia possit"). 62—73. 76—81. 85. 86—88. 89—99[1]).

Consolationem adhibuit Cicero §§ 11—15, exemplum § 24 ex suo Finium libro sumpsit[2]).

---

[1]) His paragraphis Cicero plurima de suo addidit. Loquitur de blanditia adulatione adsentationeque, quibus maior pestis in amicitia non exstat. Peripatetici talia docuerunt (EE VII 1239a). In Off. I 91 leguntur eadem fere verba atque in Laelii § 97. Neque vero inde, ut antea (p. 9) commemoratum est, concludendum est Ciceronem in his paragraphis exscripsisse Panaetium.

[2]) In fine vero disputationis breviter monstrare conabor, quomodo Theophrastus in libro περὶ φιλίας materiam adornare potuerit. Dispositionem (§ 16 Lael.) „quid sentias, qualem existumes" Theosphrasti esse verisimile est. Ethicon Eudemicorum quidem prima de amicitia verba sunt (VII 1234 b): περὶ φιλίας, τί ἐστι καὶ ποῖόν τι... ἐπισκεπτέον... Atque etiam MM II 1213 a legitur: τί ἐστι καὶ ὁποῖός τις ὁ φίλος. — Theophrastum ab encomio coepisse Ethicon Nicomacheorum consensus, qui cum Laelio (§ 22) intercedit, docet (Laelii §§ 86—88 [— dulcissimum est] ad encomium quadrant). Hac in parte Empedoclem allatum esse (Lael. 24) pro certo habendum est. Omnia enim tria Ethica eum afferunt initio fere disputationis de amicitia habitae. — In altera parte (ποῖόν τι) Theophrastum primum de ortu amicitiae egisse sumendum est (Lael. 27 med.). Tum eum illa tria genera statuisse puto, quam partem Cicero praetermisit. — Huic quaestioni annexit disputationem de interitu. Laelii §§ 33—35 Theophrasti rationem optime reddere A. Gercke me monuit (cf. eiusdem editionem Theophrasti περὶ πυρός, Universitätsbeilage, Greifswald 1896 cap. I). Ad quaestionem interitus etiam §§ 76—78 Lael. referendae sunt. — Theophrastum quoque quaesivisse „quatenus amor in amicitia progredi debeat" (Lael. 36) ex Gellio NA I 3, 9 patet: „multi philosophiae sectatores, ut in libris eorum scriptum est, satis inquisite satisque sollicite quaesiverunt, ut verbis, quae scripta sunt, ipsis utar, εἰ δεῖ βοηθεῖν τῷ φίλῳ παρὰ τὸ δίκαιον καὶ μέχρι πόσου καὶ ποῖα. Super hac quaestione ... diligentissime a Theophrasto disputatur..." Theophrasti disputationis

finem habes Lael. 61. Quomodo reliqua adornaverit Theophrastus, adhuc discernere nequeo.

Neque plus certi de fonte Stoico dici potest. A. Gercke ex § 18 verbis „sed hoc primum sentio" concludit hoc primum Stoici fontis dictum alia Stoica placita secuta esse. Illa dispositionis tripertitae verba (§ 16) (quid, qualem, praecepta) Stoicorum rationem ei redolere videntur conlata Panaetii de dolore patiendo epistula, in qua ille „quid esset et quale, quantumque in eo esset alieni, deinde quae ratio esset perferendi" quaerebat (Cic. de fin. IV 23). Hanc dispositionem opusculo magnam iam partem absoluto obtrudere audebat Cicero, cum prooemium praemittebat, quod postremum operibus adicere solebat; itaque alium antea secutus ordinem dispositionem Stoicam in Laelio nusquam fere curabat neque curare poterat. Hanc magistri mei coniecturam probabilem esse quis neget? Attamen priores § 16 dispositionis partes (τί et ποῖον) etiam Theophrastum afferre potuisse concedendum est. Ceterum illa „praecepta" (cf. „quae ratio") Stoicorum §§ 36—44 exstant. Attamen hac quoque parte Cicero Stoicorum severitatem debilitavit (cf. §§ 38 sq. et § 42 verba „in magna aliqua re publica"; § 37 severius pronuntiat: „nulla est... excusatio"). Neque vero fontem Stoicum tam plenum fuisse quam Theophrasti librum mihi persuasum est.

Index locorum.

*) p. 11 pro „Eustr. schol. etc." scribendum est: „Aspasii schol. ad EN 1158b 11."

Vita.

Natus sum Maximilianus Franciscus Josephus Hoppe Coseliae pridie Kalendas Julias anni 1889 patre Francisco matre Anna e gente Schernig, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Profiteor fidem catholicam. Per quattuor annos litterarum elementis imbutus vere anni 1899 in progymnasium patrium receptus ibique per sex annos versatus sum. Deinde gymnasium regium Nissiae per tres annos frequentavi, vere anni 1908 cum maturitatis testimonio instructus academiae Vratislaviensis civibus adscriptus sum ibique adhuc philologicis studiis operam dedi. Docuerunt me viri doctissimi: Baumgartner, Cichorius, Ebers, Foerster, Gercke, Koch, Kuehnemann, Scheer, Schrader, Seger, Siebs, Skutsch, Volkmann †, Wendland, Ziegler.

Foersteri Gerckii Skutschii liberalitate factum est, ut seminarii philologici exercitationibus per tria semestria interessem, in seminarium archaeologicum benigne me recepit Foerster. Ad exercitationes seminarii philosophici comiter me admisit Baumgartner, grammatici Schrader, historici Cichorius.

Quibus omnibus iustas ac debitas et nunc ago gratias et semper habebo, maximas vero Alfredo Gercke, qui cum mihi in studiis dux fuit benevolentissimus, tum in hac commentatione elaboranda consilio atque opera me adiuvit.